



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**DN. DVRANDI|| à Sancto Portiano, in Senten=||tias
Theologicas Petri Lombardi|| Commentariorum libri||
quatuor.||**

Durandus <de Sancto Porciano>

Antverpiæ, 1567

Distinctio prima.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72607)

Magistri Durandi de
Resolutissimi Patris, &

VERITATVM THEOLOGICARVM
solidi ſcſtoris Magiſtri Durandi de ſancto
Portiano, Liber ſecundus
ſententiarum.



EST Deus in cœlo reuelans mysteria. Sicut dictum fuit à principio nomine cœli designatur causa finalis sacre scripturæ generaliter & specialiter materia secundi Libri Sententiarum, quod potest sic videri. In secundo enim libro agitur de tribus principaliter, scilicet De creaturarum productione, De earum distinctione, & De aliquarum deuotione, seu exorbitatione per culpam. Et hæc conuenienter signantur nomine cœli, secundum tria quæ in cœlo possumus considerare, habet enim cœlum capacitatem præ omnibus, diuersitatem in partibus, diffinitatem in motibus. Generalis capacitas facit, vt cœli productio significet vniuersorum productionem. Nomine enim continentis sæpe significantur contenta. Partium diuersitas representat creaturarum distinctionem. Sed motuum diuersitas aliquarum significat deuotionem. Dico primò quod cœlum habet capacitatem præ omnibus. Nihil enim in corporalibus est cœlo capacius. Cõtinet enim omnia, quod innuit Salomon 2. Paral. 6. arguens à maiori sic. Si cœlum & cœli cœlorum te capere non possunt, quæ tamen sunt summæ capacitatis, quanto magis domus hæc? Et ideo per productionem cœli omnia continentis & ambientis vniuersorum productio designatur. De hoc Hester. 13. Tu fecisti cœlum & quicquid cœli ambitu continetur. Secundò cœlum habet diuersitatem in partibus. Est enim quædam pars ipsius tota liter lucens (vt sol) quædam omnino non lucens (vt pars cœli non stellata) Quædam partim lucens, & partim non lucens (vt luna quæ nunquam secundum se totam lucet.) Sic in vniuersitate creaturarum est quædam creatura purè spiritualis, & hæc est quasi omnino lucens. Nomen enim lucis ad cognitionem transfertur, & talis est angelus. Est & alia purè corporalis, quasi nihil lucens, eo quod caret cognitione. Et est alia partim corporalis, & partim spiritualis, quasi secundum quid lucens, & secundum quid non lucens, vt homo. De prima agit Magister à secunda distinctione vsq; ad duodecimam. De secunda à duodecima vsq; ad sexdecimam. De tertia à sexdecima vsq; ad finem. Et sic pulchritudo cœli resultat ex diuersitate istarum partium, sicut apparet intuitu cœlum. Suspice enim cœlum & intue, Job. 35. Sic pulchritudo vniuersi resultat ex superiorum creaturarum distinctione, ad commendationem & gloriam creatoris. Sic enim cœli enarrant gloriam dei, vt in psalmo dicitur: Nunquid ergo nostri ordinem cœli? Job. 38. Ecce Magister docet hunc ordinem & distinctionem. Tertio, cœlum habet diffinitatem, vt in motibus, est enim ad presens duplex motus in cœlo. Vnus regularissimus, qui est diuinus, & alius quasi oppositus huic, & respectu ipsius obliquus. Per hos autem duos motus significatur conuersio, & auersio creaturæ. Per primū enim, qui est regularissimus, significatur conuersio bonorum angelorum, ad Deum ex qua fuerunt illuminati, & confirmati in gloria. De quo Eccl. 42. Species cœli in visione gloriæ. Per secundum, qui est obliquus, significatur deuotio angelorum & hominum à Deo, ratione cuius obtenebrati sunt secundum illum Hier. 4. Aspexi cœlos, & non erat lux in eis. Et iterum Iohel. 2. dicitur, Moti sunt cœli (hoies. f. & angeli) per electionem. Sol & luna obtenebrati sunt, sol quantum ad angelicam naturam, luna quoad naturam humanam. Et de vtroque agit Magister. f. de peccato angelorum, & de peccato primorum hominum, & occasione horum de omni peccato generaliter. Et quia peccatum hominum fuit remedium per gratiam, ideo incidetialiter agit Magister de gratia, per quam spiritus sanctus cœlum obtenebratum illuminauit, de quo potest intelligi illud Job. 26. Spiritus eius ornauit cœlos, in presenti quidem per gratiam, sed in futuro ornabit per gloriam, quam nobis concedat, &c.

Sancto Porciano

Sententia literæ Magistri Sententiarum in generali & speciali valde ingeniosa & vtilis, & primo in primâ distinctionem.

Creationem rerum insinuans, scriptura &c. In hoc secundo libro principalis intentio Magistri circa tria veratur. f. circa rerum creationem, creationem creaturarum, dotationem suæ perfectione, & creaturæ sic dotatæ cõuersionem, seu auersionem. Et secundum hoc iste liber diuiditur in tres partes. Primo enim determinat de creaturarum productione. Secundo spiritualiter de creaturæ rationabilis dotatione. Tertio de eius auersione. Secunda pars incipit ibi in principio. 29. dist. Solent queri plura de hominis statu ante peccatum. Tertia in princ. 21. dist. videns igitur diabolus hominem. Prima igitur diuiditur in duas. Primo determinat quædam pertinentia ad rerum omnium creationem in generali. Secundo profequitur de quibusdam creaturis in speciali. Secunda incipit ibi in principio dist. 2. De angelica itaq; natura. Prima diuiditur in duas. Primo inquit creationis principium. Secundo creationis motuum. Secunda ibi, Credamus igitur rerum creaturam. Prima diuiditur in tres partes. Primo confirmat autoritate scripturæ creationem rerum habuisse principium. Secundo ostendit ex illa autoritate plures errores elidi. Tertio ostensum concludit. Secunda incipit ibi. His etenim verbis. Tertia, horum igitur & similium. Secunda istarum diuiditur in tres partes. Primo enim excludit errorem Plat. Secundo remouet quandam dubitationem. Tertio excludit errorem Arist. Secunda pars incipit ibi, Veruntamen. Tertia, Arist. verò duo principia. Tunc sequitur illa pars, Credamus igitur rerum. Superius Magister determinauit de creationis principio. Hic verò determinat de creationis motuo, & secundum hoc ista pars diuiditur in duas partes. Primo enim determinat de motuo creationis. Secundo ex illo motuo ostendit rerum distinctionem. Secunda pars incipit ibi, Et quia non habet. Hæc secunda diuiditur in tres partes. Primo ostendit causam distinctionis rerum. Secundo mouet quandam incidentem questionem & ponit eius triplicem solutionem. Tertio epilogat circa determinata. Secunda incipit ibi, Solem esse qua rati. Tertia ibi, Ex præmissis appareat. Prima istarum diuiditur in quatuor partes. Primo ponit rerum distinctionem. Secundo ex hoc ostendit causam productionis creaturæ rationalis. Tertio addit aliqua & determinat ostensum. Quarto remouet quoddam dubium. Secunda pars incipit ibi, Ideo q; si queretur. Tertia ibi, Cum igitur queritur. Quarta ibi, De homine quoq;. Et hæc est diuisio lectionis in generali.

2 IN speciali sic procedit Magister, & proponit quod ex autor. Gen. qua dicitur in principio &c. Probatur creatio rerum in principio temporis non ab æterno esse facta. Deinde ostendit quod ex hoc eodem error est elisus ponentium plura principia, quorum fuit vnus ipse Plato qui plura principia posuit ab æterno increata, & sine principio, nec conuenit rerum creationem, sed potius dicit ex materia facta. Quam positionem suæ erroris excludit Magister. ex verbo creati, siue creare. Et ex hoc verbo faciendi siue facere. Nam dicit quod creare est aliquid de nihilo facere, facere verò non de nihilo, sed de materia. Deinde ne aliquis possit credere creationem temporalem aliquam mutationem in Deo ponere, dicit quod verba temporalia dicta de Deo nullam mutationem ponit in ipso, siue nouitatem, sed solum nouum effectum in creatura. Vnde eius operatio, factio, vel actio non dicitur proprie actio, quia per eam non agitur aliqua nouitas in agente, licet sine Dei mutatione aliqua nouitas sequatur in effectu, sicut ex calore solis sequitur aliqua nouitas in effectibus inferioribus (vt puta aliqua nebula generatur nulla mutatione facta in sua causa. f. in sole.) Postea excludit opinionem seu errorem Arist. qui ponit prima principia rerum materia & formam, qui etiam mundum ponit esse ab æterno. Vltimo concludit Magister, & dicit quod istorum Philosophorum opinionem suæ erroris scripturæ euacuat, quæ dicit creationem rerum in initium temporis habuisse. Vnde & subdit quod temporalis effectus non ponit mutationem in deo, quia à sola voluntate eiusdem dependet. Consequenter in illa parte, Credamus, proponit quod causa creationis iterum est sola bonitas creatoris communicari volens, & potes, etiam dimi
nui

nui non valens. Deinde dicit quod quia perfecta bonitas in creatura est ut ei perfecte adiungatur, ideo fecit Deus rationalem creaturam, & sic distinguit ut pars corpori vni retur, & alia pars. scilicet angelica in sua puritate non vnita remaneret. Deinde ostendit quod homo, & vniuersaliter omnis creatura facta est propter dei bonitatem. Vnde etiam subdit quod bonitas dei est causa existendi creaturis, & quod ex ea sequitur bonitas creaturarum. Creauit enim Deus hominem ad se laudandum & sibi seruandum ex qua laude & seruitio homo potest perficere & perfici habet. Postea concludendo determinat quod creatura rationalis facta est propter dei bonitatem & sui vtilitatem. Vbi etiam addit quod mundus creatus est propter hominem, quia multa vtilitas ex rebus aliis prouenit homini. Addit etiam quod non solum creature corporales, sed etiam ipsi angeli ad hominis perpetuum profectum faciunt. Deinde quia alicubi legitur in scriptura quod homo creatus sit propter ruinas angelorum, propter hoc subdit quod illa non fuit tota causa sed concausa. Postea querit qualiter anima sit coniuncta corpori, & dat de hoc causam triplicem. Primo quia sic Deo placuit. Secundo in signum futurae beatitudinis (vno enim spiritu cum carne representat possibilem fore vniionem animae ad deum.) Tertio propter animae meritum, ut scilicet in corpore mortali maius meritum acquireret. Vltimo concludit quod circa omne genus creature vertitur sua intentio, scilicet circa spirituales creaturas non vnitas corpori, & circa corporeas pure. Et circa spirituales corpori vnitas, Et in hoc terminatur sententia &c.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum creatio sit possibilis.

Thom. 1. q. 45. ar. 1. & 2.

Circa principium secundi libri Sententiarum, Quæritur primo de tribus in generali. Primum est de possibilitate creationis. Secundum est de eius communicabilitate. Tertium est de actione, & de intentione creantis. Adhuc circa primum quaeruntur tria. Primum est de possibilitate creationis absolute. Secundum vtrum creatura habens esse permanentem potuerit ab æterno produci. Tertium vtrum aliquod successuum pura motus potuerit esse ab æterno, vel aliqua creatura sub motu. Ad primum sic proceditur, & arguitur quod creatio non sit possibilis, quia actio essentialis respicit subiectum quam terminum dicente Autore. 6. prin. quod actio non requirit quid agat, sed in quid agat. Est autem impossibile, & contradictionem implicans quod aliqua actio sit sine termino (Alioquin actio esset vbi nihil ageretur) ergo impossibile est aliquam actionem esse sine subiecto. Cum igitur creatio dicatur esse sine subiecto, videtur quod creatio non sit possibilis.

2 Item creatio videtur esse aliquid mediū inter deum creatorem, & ipsam creaturam, sed constat quod non est substantia, ergo est accidens. Omne autem accidens requirit subiectum, igitur &c.

3 IN CONTRARIUM est quod dicitur Mach. 7. Peto nate ut aspicias in cœli & terræ, & inspicias vel intelligas quod ex nihilo creauit ea Deus.

4 RĒSPONSIŌ. Circa quæstionē istam primo videndum est quid importatur per nomē creationis, quo viso respondebitur ad quæstionem.

5 Quantum ad primum intelligendum est quod per creationem, secundum quod nomen creationis communiter accipitur importatur actio per quam aliquid producitur ex nihilo. Hoc autem potest intelligi tripliciter, vno modo materialiter, scilicet quod nihil sit materia rei productæ quod esse non potest, quia quod nihil est, nullius potest esse materia. Inest enim materia rei factæ tanquā pars eius. Est enim materia ex qua aliquid fit cum inest ut dicitur 1. Physic. Alio modo ordinabiliter ut sit sensus creaturas fieri ex nihilo, id est, post nihil, ita ut maneat ordo affirmatiuus à nihilo tanquam à termino à quo.

6 Quem sensum licet quandoque doctores accipiant tanquā verū imaginantes quoquo modo licet improprie loquendo ens & nihil esse terminos creationis, tamē proprie loquendo istud non est verum, propterea quod non est possibile ponere terminos in actione in qua non est subiectum commune vtriq; termino nisi vterq; terminus

fit positius (quod dico propter transubstantiationem panis in corpore Christi) Cuius ratio est, quia necesse est in omni actione habere terminos quod termini sint incompositibiles & quod vnus necessarii precedat alium (videlicet terminus à quo terminū ad quem) sed negatio vel priuatio nō potest secundum se precedere habitum naturæ vel durationem, cum secundum se & in se non sit aliqua natura, nec durationem habeat, ergo si aliquo modo precedit, hoc est ratione alicuius naturæ sibi subiectæ, igitur in actione non habente commune subiectum sicut est creatio, ens & nihil nō possunt esse termini, cum terminorum alter sit pura negatio.

7 Item oportet quod virtus agentis in omni actione attingat vtrumq; terminū, vnus enim abiicitur & alter acquiritur, & vtrumq; sit virtute agentis, & ideo oportet quod virtus agentis vtrumq; attingat, vterq; autem potest attingi, quando vterq; est positius, sed quādo alter est positius & alter est negatiuus, cum illud quod nihil est attingi nō possit secundum se oportet quod attingatur ratione alicuius substrati quemadmodū fit in illuminatione aëris, cum de nō illuminato fit illuminatus, & vbi vnus alter terminorum est priuatio, alter verò forma, nunquam enim attingi potest terminus negatus nisi ratione substrati subiecti à quo expellitur priuatio per introductionem habitus. Cum igitur in creatione nō supponatur subiectum commune impossibile est quod proprie loquendo demus ei duos terminos, scilicet ens & nihil.

8 Relinquitur igitur tertium, scilicet, quod creatio dicitur esse de nihilo, solum negatiue, quia non est de aliquo nec in ratione subiecti, nec in ratione termini. Vnde sicut nō habet subiectum, sic neq; terminum ex quo, vel à quo fit. Non enim est motus vel mutatio quæ sunt, à quodam in quoddam.

9 Hoc viso dicendum est quod creatio est possibilis, hoc est, productio alicuius de nihilo modo quo expositū est. Quod probatur dupliciter. Primo modo sic, materia est aliquid productū, sed hoc non potest esse, nisi per creationem, igitur &c. Minor patet, quia materia est vltimū subiectum, propter quod ad eius productionem non potest aliquid prius subici. Probo maiorem, omne quod sibi derelictū esset nō ens habet causam deducentē ipsum de non esse ad esse (Alioquin nunquā esset ens, sed semper non ens) sed materia prima si sibi dereliqueretur, esset nō ens, ergo habet causam deducentē ipsam de non esse ad esse. Talis autem est sola causa agēs, &c. Maior iam patet, minor satis est clara, quia materia prima nō potest esse sine forma, igitur, &c. Si dicatur quod immo virtute diuina, habetur propositū, quia si nō potest esse sine forma, nisi deo hoc faciente, ergo sibi derelicta non esset ens.

10 Secundo sic, nulla productio supponit subiectum, nisi quatenus terminus productionis non potest esse sine subiecto. Fieri enim ordinatur ad esse, sed Deus potest facere quod accidens sit sine subiecto (ut in sacramento altaris) ergo potest facere quod accidens fiat sine subiecto, sed tunc esset vera creatio, ergo &c. Et ratio hæc partim innititur fidei, & sic patet primum.

11 Ad primum argumentum dicendum est per interemptionem maioris. Omnis enim actio realis est eadem cum suo termino, vel saltem illa quæ est sine motu, quælis est creatio. Et ideo essentialiorem ordinem habet ad suum terminum, quā ad subiectum. Quod autem dicit Author. 6. principiorum, quod actio non requirit quid agat, sed in quid agat, intelligendum est sic, quod actio naturalis de qua loquimur, quæ habet subiectum & terminum supponit subiectum, tanquam aliquid præexistens, non autem supponit terminum, sed producit.

12 Ad secundum est dicendum quod creatio nō est aliquid medium inter Deum & creaturam, sed est ipsamet creatura sub respectu vel denominatione respectiua ad datam esse. Est enim creari idem quod habere esse ab alio secundum se totum.

QVÆSTIO SECUNDA.

Vtrum creatura habens esse fixum & permanentem potuerit ab æterno produci.

Tho. 1. q. 46. ar. 2. Hen. quodl. 1. q. 7. & quodl. 9. q. 17. Holcot. 2. q. 2. ar. 5. vide hic Scotum.

Ad sec

Inf. q. 4. mem. 30.

AD Secundum sic proceditur, Et arguitur quod creatura habens esse fixum & permanens non poterit ab æterno produci. Omnis duratio inclusa inter duo nunc necessario est finita, sicut omnis linea quæ est inter duo puncta, necessario est finita, sed omnis duratio creaturæ necessario clauditur inter duo nunc, ergo &c. Minor probatur. Creatio enim cuiuslibet creaturæ, necessario est in aliquo nunc. Non est enim in tempore, quum sit subita, modo etiam est accipere aliqua duo nunc, inter quæ duo nunc tota duratio creaturæ clauditur, ergo &c.

2. Itē creatura aut simul fit & facta est, aut prius fit, & posterius facta est. Si dicatur quod prius fit & posterius facta est, æterna esse non potest, quia haberet aliquid prius se duratione. Si verò simul fit et facta est, aut hoc erit verum pro quolibet instanti, aut pro vno tantum. Non pro quolibet, quia nunc esset verū dicere quod mundus fit & factus est, & creatus est, quod videtur inconueniens. Si pro vno nunc tantū, quū nullum nunc transiens, quædam modum est nunc mensurās creationē, quæ transit, sit æternum, impossibile est creaturam esse ab æterno.

3. Itē secundum philosophum, i. peri hermenias. Omne quod est quando est necesse esse, sicut Sortem sedere quando sedet, ita quod pro tempore illo quo est, nō est potentia ut non sit, nec ex parte rei, nec ex parte alicuius agentis. Et similiter quod fuit quando fuit, necessario fuit. Quod autem est necessario isto modo non est necessario absolute, quia erat potentia in tempore præcedenti, per quā ille actus potuit impediri. Ex hoc arguitur quod aliquando fuit, nec erat potentia præcedens, per quam potuit impediri, tale necessario fuit necessitate absoluta, ita quod nulla est potentia, nec ex parte dei, nec ex parte rei quod illud non esset. Sed si ponatur creatura fuisse ab æterno nunquā fuit duratio præcedens, ratione cuius existentia eius posset impediri, ergo ipsa fuit necessario necessitate absoluta, ita quod nec ex parte dei, nec ex parte rei fuit possibile eam nō esse. hoc autē est hereticum, quare &c.

4. Itē omnis creatura habet de se non esse, si ergo ab alio habeat esse, aut simul habebit vtrumque. (i. esse & non esse) aut prius nō esse, quā esse. Non simul, quia implicat contradictionem, ergo prius habet non esse quod esse. Aut ergo natura aut duratio. Si duratio habetur propositū scilicet quod non fuit ab æterno. Si natura solum, ergo simul duratio, & pro eodem instanti, habet esse & non esse, quod est impossibile.

5. Item versio in nihilum opponitur creationi quæ est ex nihilo, sed omne annihilatum habet non esse post esse duratione, ergo omne creatum habet esse post nō esse duratione, sed tale non potest esse æternum, quare &c.

6. Itē natura & duratio sunt idē in deo, sed Deus necessario præcedit res naturaliter, ergo duratio. Sed nihil habens aliquid prius duratione potest esse æternū, ergo &c.

7. Ad idē est Damasc. lib. 4. cap. 9. qui dicit, non aptū natum est, quod ex non esse ad esse deducitur, coæternū esse ei quod est sine principio & semper est.

8. Et Hugo de san. Viç. lib. 1. de Sa. dicit quod ineffabilis potentia virtus non potest aliquid præter se habere coæternum.

9. **IN CONTRARIUM** arguitur, quia non minus est potens essentia diuina, quā persona. Sed persona diuina potest aliam personam diuinam coæternam producere, sicut & produxit, ergo essentia diuina potest aliam essentiam sibi coæternam producere, non nisi creando, ergo &c.

10. Item creatura potest statim cum est, effectū suum producere, sicut statim cum est ignis, est splendor eius, ergo multo fortius hoc potest facere Deus, qui est potētor omni creatura.

11. **RESPONSIO.** Questio ista habere potest duplicem sensum, secundum quod ly ab æterno potest duo determinare, scilicet hoc quod est potuit, vel hoc quod est create. Primo modo queritur de possibilitate creationis absolute: Est enim sensus, vtrum Deus potuit ab æterno creare (id est, vtrum ab æterno habuerit potentiam creando aliquid.) Et cum constet quod Deus habuerit ab æterno potentia ad omne quod est possibile (nulla enim potentia aduenit ei ex tempore) ideo hoc modo nō queritur de possibilitate creationis absolute, de qua in præ-

ced. quest. dictum est. Sed secundo modo queritur de possibilitate creationis nō absolute, sed respectu æternitatis, an, scilicet actus creandi potuit esse ab æterno.

12. Circa quod est intelligendum quod creaturam fuisse ab æterno potest intelligi dupliciter, vno modo quod semper fuerit, nec habuerit iugē æternitatis causam, seu principium, & isto modo est impossibile secundum philosophiam, & hereticum secundum fidem aliquod præter Deum fuisse vel posse fuisse ab æterno. Alio modo quod creatura semper fuerit, nō habēs suę durationis initium, habēs tamē suę æternitatis causam & principium. Et hoc modo negari nō potest nisi propter defectū diuinę potentie, vel propter repugnantia creaturæ. Primum nullus dicit, quia potentia diuina ad omne possibile se extendit.

13. Nec secundum potest dici, quia repugnantia ex parte creaturæ, ne ab æterno posset fieri, aut esset propter defectū potentie passivæ ab æterno, aut quia esset repugnantia intellectuū. Primum non potest dici, quia pari ratione nihil posset omnino creari, nec ab æterno, nec de nouo. Cū creatio nihil omnino supponat ex parte facti. Secundum ergo refert videre si ex repugnantia intellectuū, id est, si contradictionē implicat creaturam ab æterno fuisse.

14. Et dicendum ad hoc, quod res permanens, cuius esse nō consistit in successione, ut cæli, homo, angelus potuit à Deo produci ab æterno. Quod patet tripliciter, secundum tria quæ sunt de ratione creaturæ. Est enim creatura ens productū ab alio, de nihilo. Iam ratione qua creatura est ens nō potest sibi repugnare, fuisse ab æterno, quia potissime repugnare deo, in quo verissime saluatur ratio entis, ergo si repugnat ei hoc erit vel ratione cause productis, quia est ab alio, vel ratione productionis, quia est ens productū, vel ratione termini, quia de nihilo. Et de his omnibus tactis sunt difficultates in argumentis.

15. Quod autem est nō repugnat ratione cause productis, quia est ab alio patet, quia non est necesse causam agentem præcedere duratione suū effectum, quia si illud esset de ratione agentis, aut ergo in quantum est agens absolute, aut in quantum tale agens. I. per voluntatem. Primum nō potest dici, quia inuenitur multa agentia, quorum effectus sunt statim cū suis causis. Statim enim cū est ignis lumē eius est in domo, & sol in eodē instanti, in quo creatus est hemispheriū illuminauit. Item nec de ratione agentis per voluntatem est, quod præcedat duratione suum effectū, nisi voluntas sit de nouo accedens, ita ut de non volente fiat volēs, aut voluntas sit deliberationē sequēs, neutrum autem istorum est in Deo, quare &c.

16. Item voluntas diuina non minuit eius potentiam, sed secundum omnes, si Deus ageret ex necessitate nature, res fuissent ab æterno, ergo non obstante quod Deus agat per voluntatem res poterunt esse ab æterno. Nō est ergo repugnantia intellectuū, si dicamus causam agentem non præcedere suum effectum.

17. Quod autem non sit repugnantia ex parte productionis, quin creatura potuerit esse ab æterno, inquirendum est nunc, quia in hoc dependet maior pars questionis. Quicquid enim detur de productione creaturæ, siue quod sit in instanti, siue in tempore, semper videtur sequi quod creatura sit de nouo. Si enim creatio sit successiua, & in tempore, ipsa duratione præcedet creaturam. Si autem sit in instanti inter illud instanti, & inter aliud quod nunc accipitur, includitur tota duratio creaturæ, et in illis finitur tanquā in suis terminis. Et ideo licet ad probandū quod agens creatū nō præcedat duratione suū effectū sufficiat probare quod agat ex necessitate nature, & actione subita, tamen nō sufficit hoc circa agens increatū. Quauis enim nō repugnet actioni momentaneæ quod sit in eodē instanti, in quo est causa agens, quæ etiā in instanti incipit esse, tamē repugnat actioni momentaneæ, quod sit æterna ut videtur.

18. Ad tollendum igitur hanc difficultatem distinguendi sunt modi quibus aliquid habet fieri, qui sunt quatuor in vniuerso. quidam enim sunt per modum solum, sicut aqua fit calida per motū calefactionis. Alia sunt per mutationem sequentem motū de necessitate, sicut forma substantialis introducit in materia per generationem sequentē alterationē præuiā, cuius ipsa est terminus saltē extrinsecus. Tertio modo aliqua sunt per mutationē quidē sequen-

Inf. lib. 4.
d. 4. q. 1.
num. 16.

sequentem motum, sed non per se, nec ex necessitate, sicut illuminatur hemispheriū nostrum a sole, quā illuminationem præcedit motus localis solis, per quē fit nobis præsens. In primo autē instanti, quando tactus est sol, fuit aer illuminatus a sole, sed non per præcedentē motū. Quarto modo fiunt aliqua, nō per motum aut mutationē, sed per simplicem emanationem, sicut illa quæ creantur.

16 In his autē quatuor modis fieri & factū esse, nō eodem modo se habet. Nam in illis quæ fiunt per motū, factum esse se habet ad neri, sicut eius terminus. Et simili modo mensura ipsius facti esse se habet ad mensurā fieri, sicut eius terminus. Propter quod sicut motus vel fieri mensuratur tēpore, sic factū esse mensuratur nunc tēporis, quod est nūc hūc. Et sicut verū est dicere de tali re, q̄ fit, solum pro tēpore mēsurante motū, sic verū est dicere q̄ factū est solum pro illo instanti, in quo terminatus est motus.

17 In illis verō quæ fiunt per mutationē sequentē motum per se, idem est iudicium, quia enim vni est propter alterum (scilicet motus præcedens propter sequentē mutationē) iudicandum est q̄ vtrobiq; est vni tantū quoad mensurā, ita scilicet vt talis res dicatur solum fieri pro tēpore mensurāte motū, facta autē pro nunc quod est terminus illius tēporis, quantum factum esse vel fieri secundum ipsam mutationē præcisē simul sunt & vnum & idem.

18 In his vero quæ fiunt per mutationē sequentē motum localem, sed non ex necessitate vt dictū est de illuminatione est aliter, quia propter motū præcedentē non dicitur res fieri, quia per motum localem nec forma acquiritur subiecto, nec aliqua dispositio ad formā. Et ideo factū esse per sequentē mutationē nō est terminus præcedentis motus, nisi per accidens, quia est quando terminus præcedentis motus est. Nec mensura eius est eadem cū mensura termini motus, nisi secundum accidens. In quantum ei coexistit primō. Alio enim nunc mensuratur terminus motus localis, quia nunc tēporis fluente, alio mensuratur illuminatione, quia nunc stante, & nō fluente. Quod patet sic, idē manens idem secundum idē, & respectu eiusdem semper natum facere idē, si agat ex necessitate naturæ. Sed si sol accedens primū punctum hemispheri nostri staret ibi, ita q̄ ibi terminaretur motus localis præcedens, & inciperet illuminare nostrum aerem, tunc sol maneret idem respectu aeris, & secundum idem ageret, & id ex necessitate naturæ. Aer etiam maneret in eadem dispositione, vt suppono, ergo sol sic manens semper faceret idem. Sicut igitur in primo instanti verū fuit dicere de eodem lumine q̄ fit, & factum est, ita in quolibet alio verum est dicere de eodem lumine q̄ fit & factum est. Propria ergo mensura talis fieri non est nunc fluens, quod nō contingit bis accipere, sed nunc stans, quod potest pluribus partibus tēporis coexistere. Veruntamen, quia motus præcedit esse dare aliquid nunc tēporis, cui primō coexistit nūc mensura illuminationis, quod non esset, nisi motus præcederet.

19 In his verō quæ fiunt per simplicem emanationem absq; motu præcedente (sicut illa quæ creantur) fieri & factum esse simul sunt & vnum, & mensuratur nunc stante, quod nō necessario coexistit primō alicui nunc tēporis quod patet, quia actio & passio sunt vnus motus sub diuersis respectibus, a quo & ad quē, ergo circumscripto motu actio & passio dicunt solos respectus inter producentem & productum. Cū ergo creatio sit sine motu, creare & creati dicunt solos respectus inter deum & creaturā, ita q̄ creare nihil aliud est q̄ dare esse alteri nullo supposito, & creati, quā sic habere esse a deo. Et ideo quū pro quolibet instanti sit verum dicere q̄ creaturā habet esse a deo pro quolibet est etiam verum dicere, q̄ creatur & creata est. Nec oportet mensurā creationis coexistere primō alicui nunc tēporis, quia nō oportet aliquē motum præcedere creationem, sicut fit in illuminatione noua, ratione nouitatis. Sed sicut in diuinis semper est verum dicere filius gignitur & genitus est a patre ex necessitate naturæ, & in identitate essentia, sic verum est dicere de creatura (quandiu est) q̄ creatur a deo, & creata est ex libera tamē voluntate diuina, & in diuersitate essentia, vt sit eadem actio creationis rerum, & conseruationis earum. Et licet sit sentiendum sic, tamē aliter est loquendum, secundum quod plures loquuntur, quia enim actiones notiores nobis sunt illæ quæ sunt cum motu, aut quæ sequuntur motu

tum, vt generationes rerum naturalium: & in his res nō dicitur aceri post primū instans, in quo accepit esse. Ideo secundū hanc similitudinē, nec nos dicimus q̄ cœlum nunc creetur, aut angelus, quū tamen secundum rei veritatē sit sentiendum sic. Mensura igitur creationis est nunc stans, quod potest pluribus nunc tēporis coexistere. Nec est necesse dare aliquod nunc tēporis, cui primō coexistat, quum nullus motus creationem præcedat, sicut non est necesse dare a parte post vltimum nunc tēporis, cui duratio creaturæ vltimō coexistat.

20 Ex his formatur talis ratio, Actio quæ non est successiua, nec mensuratur nunc fluente, quod non cōtingit pluries accipere, sed nunc stante, talis actio non impedit quin productum per eam possit coexistere producenti. Et hoc manifestum est ex præcedētib; . Si enim esset successiua, impeditet coexistentiā respectu cuiuslibet agentis. Rursus si esset subita, & mensuraretur nūc fluente nō impeditet coexistentiā respectu agentis temporalis, impeditet tamen respectu æterni, quia tale nunc non contingit pluries accipere. Et ideo cū semel acceptum sit, prius accipi non potuit, & sic ab æterno non fuit. Sed his amotis nihil impedit ex parte actionis coexistentiā effectus cum agente æterno. Sed creatio est talis actio quæ non est successiua, sed subita, nec mensuratur nunc fluente, sed stante, vt deductum fuit, ergo non repugnat creaturæ ratione suæ productionis, quin possit ab æterno coexistere deo producenti, quod fuit secundum.

21 Quod item non sit repugnantia ratione termini (quod erat tertium) ex eo scilicet q̄ creatura dicitur esse ex nihilo (Ex hoc enim forte videretur q̄ creatura haberet esse post nihil duratione) hoc sic ostēditur, illud quod nō præcedit creaturā duratione vel natura, non impedit eam quin possit esse æterna, sed esse nihil vel ex nihilo nō præcedit esse creaturæ duratione vel natura, igitur &c.

Maior patet, etiam si poneretur solum quod non præcederet duratione. Minor probatur, quia creatura non dicitur fieri ex nihilo materialiter, tanquā nihil sit materia facti, nec ordinabiliter, ita vt maneat ordo affirmatiuē ad nihil sub hoc sensu, quod fiat ex nihilo, id est, post nihil, sed dicitur fieri ex nihilo purē negatiuē, id est, non ex alio, & isto modo nulla antecessio durationis, aut naturæ intelligitur ipsius nihil ad esse creaturæ. Vnde non est necesse creaturam prius tempore vel natura fuisse nihil quā aliquid.

22 Quod autē consuevit dici q̄ creaturā prius est naturaliter nō ens quā ens, quia de se habet q̄ sit non ens, ab alio autē habet q̄ sit ens, prius autem est quod inest alii cui ex se, quā quod inest ab alio. Non intelligo qualiter possit esse verū, quia quod inest alicui ex se, vel ex natura sua, naturā non destruit, sed ponit vel supponit, nō ens autem vel nihil naturam destruit: ergo impossibile est, q̄ aliqua res ex natura sua sit non ens vel nihil.

23 Nec obstat si dicatur q̄ res de natura sua nō est ens, & proinde est non ens, quia aliud est dicere naturam rei nō habere esse de se, & habere de se non esse. Primū enim istorum est verum, secundum autē falsum & impossibile. *Infra 44. q. 2.* Et ita patet q̄ non repugnat creaturæ (quia est ex nihilo) quin sit vel esse possit ab æterno, quia per hoc quod creatura est ex nihilo, nullus ordo naturæ aut durationis importatur ad nihil. Sic igitur apparet, quod creaturæ perenni manenti non repugnat fuisse ab æterno.

24 Sed cōtra arguitur sic, Creatura habet causam priorem se, saltē ordine naturæ, in illo ergo priori creaturā non fuit ens, ergo non ens, vel nihil: & sic inter creaturā & nihil, est saltē ordo naturæ. Et dicendum ad hoc q̄ ponendo ordinē prioris & posterioris secundum naturā inter creaturam & nihil, non propter hoc sequitur quin creatura possit esse æterna, nisi poneretur inter ipsa ordo durationis, sicut prius dictum fuit. Et nihilominus nec ordo naturæ est inter ipsa, quantum sit inter creaturam & suā causam. Et quum dicitur quod in illo priori causæ creaturæ non fuit ens, non est verum, quia prius & posterius secundum naturā non attenduntur secundum entitatem, & non entitatem, vt verum sit dicere quod vnum sit alio non existente, quia nunquā est verum dicere quod sol sit lumine non existente, & tamen sol est prior secundum naturam, quā suum lumen, sed attenduntur secundum entitatem

entitatē dependentē & independentē, quia illud est prius secundum naturā, cuius entitas est independentis, & illud posterius, cuius entitas est dependens, & tamē istę duę entitates sunt semper simul. Sed prioritas causę nō cōpetit effectui, sicut nec independentia. Non est ergo verum q̄ in illo priori causę suę creatura non sit ens: imō est ens, sed quia est dependens, ideo non attribuitur ei illa prioritas.

25 AD PRIMVM argumentum principale dicendum quōd duratio creaturę inclusa inter duo nunc fluētia, vel quę imaginatur in motu fluēte, est necessariō finita, sed duratio creaturę permanentis, non accipiētis esse per motū, nec per mutationem sequentē motum, non necessariō includitur inter talia duo nunc, sed mensuratur nunc stāte quod potest pluribus temporis coexistere, imō quod plus est, potest toti tempori coexistere & ideo non oportet talem durationem esse finitam.

26 Ad secundum dicendum est quōd creatura dum creatur simul sit, & facta est. Et hoc non solum verum est pro vno nunc fluente, sed pro nunc stāte quod potest toti tempori coexistere, & præexistere.

27 Ad tertium dicendum quēcum dicitur illud quod aliquando fuit nec erat tēpus præcedens pro quo potuit imitari illud est necessariū necessitate absoluta. Dicendū quod falsum est. Siue enim creatura sit ab æterno producta, siue ex tempore semper est à Deo liberē producta, & non ex necessitate absoluta. Quod patet quia illud quod non est necessariō volitū à Deo non est necessariō à Deo productū (cum Deus agat per voluntatem) sed Deus nihil aliud à se vult ex necessitate. Non enim necessitatur volūtas nisi respectu finis, vel eorū sine quibus finis haberi nō potest, vel conseruari, nihil autē tale inuenitur in creaturis respectu diuinę bonitatis quę est finis omnium, & ideo nihil creatum est à deo necessariō volitū vel productum, quod enim tempus præcedat nihil vel non præcedat facit ad hoc quōd aliquid procedat à Deo liberē, vel necessariō. Tota enim ratio libertatis vel necessitatis sumēda est ex habitudine potentie ad obiectum. Quod patet: quia omnis prædestinatus est ab æterno prædestinatus, & tamen quilibet prædestinatus liberē est prædestinatus, ita quōd ab æterno potuit non prædestinari, & similiter est in proposito. Et si aliquis dicat quōd non est simile, quia prædestinatio ratione eius quod est præ, importat antecessionē ad effectum prædestinationis, & ideo quod prædestinatus est, non necessariō est, quia respicit determinatū tempus, non sic autē est illud quod est ab æterno. Non valet, quia non solum effectus prædestinationis qui euenit in tempore contingenter euenit & non ex necessitate puta Sortem saluari, sed ipsum esse prædestinatum saluari, quod est æternum & non respicit determinatum tempus, liberum fuit, & non necessariū nisi ex suppositione, sicut Sortem currere supposito quod currat.

406. 22.

28 AD QVARTVM patet ex iam dictis, falsum enim est illud quod assumitur videlicet quōd creatura habet de se non esse quantum de se non sit ens eo modo quo Deus de se est ens.

29 Ad quintum dicendum quōd non est simile de creatione & de versione, quia versio supponit creationē, non enim est veribile in nihil nisi quod est creatū ex nihilo, propter quod omnis versio ex tēpore est cum ipsam præcedat creatio duratione. Creatio autē nihil supponit nec subiectum, nec terminū ratione cuius oporteat in ea ponere nouitatem. Si verō argueretur sic, versionē in nihil, sequitur aliqua duratio, ergo creationem ex nihilo præcedit aliqua duratio, quia sic se habere videtur versio ad nihil in ratione termini ad quē est, sicut creatio ad nihil in ratione termini à quo. Dicendū quod nihil non est terminus à quo creatiois, nec terminus ad quē versiois vt sup. probatum fuit. q. 1. nu. 6. Itē quod assumitur non est verū scilicet quod versionem in nihil necessariō sequatur aliqua duratio. Est enim versio aliquid nō habere esse à deo postquam habuit esse ab ipso. Sicut enim creare est alicui dare totū suū esse, ita vertere in nihil est nō dare esse cui prius dabatur. Illud autē verificatur toto tempore quō res non est postquam fuit, & ideo versio potest coexistere infinitę durationi à parte post, sicut creatio à parte ante.

30 Ad sextum negatur consequentia. Et ratio est quia licet essentia diuina & eius duratio sint idem, tamen esse

simul natura cum Deo & esse simul est eo duratione differunt realiter propter respectum cōnotatum in hoc quō dico simul. Aliqua enim simul esse duratione est vnū esse dum aliud est quod quidem potest cōuenire creaturę respectu Dei, vt ostensum est. Esse autem simul natura est vnū non præintelligi alteri, nec supponi ab altero, sed esse simul naturali intelligentia absq̄ dependentia vel præsuppositione vnus ab altero quod non potest competere creaturę respectu Dei, ergo &c.

31 Ad septimum quod vltimō adducitur de Damasc. & Hug. dicendū est quōd licet creatura ab æterno fuisset, tamen nō esset dicendū eam equari deo in æternitate quod importat nomen cogentem quasi cōgruū æternitati, quia æternitas creatoris est semper simul tota vniformiter se habens, nec potest aliquam variationem suscipere, quælibet autem creatura mutabilis est aliquid, etiam si ab æterno esset, propter quod æternitas creaturę non potest equari æternitati creatoris, & hoc modo intelligendum est creaturam non posse esse cōæternam creatori, nō quin creatura ab æterno esse potuerit, sed quia æternitas eius deficit à perfectione æternitatis diuinę, nec duratio eius esset propriē æterna, tamen non mensuraretur æternitate, sed ætuo, coexistere autem semper æternitatis, & sic exponendę sunt autoritates Damasceni & Hug. Hanc responsionem tangit Boëtius vltimo de consol. dicens sic, non rectē, inquit, cum audiunt visum Plaroni mundum hunc nec habuisse initium temporis, nec habiturum esse defectum, hoc modo conditori mundum fieri cōæternum putant. Aliud enim est per interminabilē vitam duci quod mundo Plaro tribuit. Aliud interminabilis vitę totam patiter complexam esse presentiam.

QVÆSTIO TERTIA.

Vtrum entia successiua potuerint fuisse ab æterno.

Thom. 1. q. 46. ar. 2. ad. 6. & 7.

Tertio queritur, vtrum entia successiua, vt motus, & tempus potuerit fuisse ab æterno. Et arguitur quōd sic, quia quando aliqua sunt eiusdem rationis quod non repugnat vni non repugnat alteri, sed partes motus sunt eiusdem rationis, ergo cum nō repugnet huic vel illi parti habuisse ante se aliam, videtur nec quōd alicui partim motus, & sic ante quālibet potuit esse alia, & sic fuissent infinitę, quare & ab æterno.

2 Item probatur de generatione sic, in his quę sunt eiusdem nature est idē modus acquirendi naturā, sed indiuidua eiusdem speciei sunt eiusdem nature specificę, ergo habent eundem modū accipiēdi naturā, vel saltē habere possunt. Hic autem modus est per generationē, ergo omnia sunt genita & nullum creatum, vel saltē sic esse potest, quo posito nō esset dare primum genitum, quare &c.

3 Ad idem est intentio Arist. 8. Physic. & primo cæli & mundi vbi sentit quōd non solum talia potuerint esse ab æterno, sed etiam quōd fuerint.

4 Item si motus cæli non posset fuisse ab æterno hoc esset propter aliquod impedimentum quod esset ex parte mouentis, vel mobilis vel spatii. Non ex parte mouentis quia æternum. Nec ex parte mobilis quod potest esse æternum, vt dictū fuit in precedenti quęst. Nec ex parte spatii tanquā oporteat dare aliquod signū à quo primō incipiat motus, cum motus cæli non sit rectus, sed circularis, ergo nihil impedit quin motus cæli poterit esse ab æterno.

5 IN CONTRARIVM arguitur, quia si motus fuisset ab æterno infinitę reuolutiones fuissent pertransitę, hoc est impossibile, ergo &c.

6 Item si mundus ab æterno fuisset, heri præcessissent infiniti dies. Similiter & hodie, sed infinito nihil est maius, ergo tot præcessissent heri sicut hodie, sed hoc est impossibile, cum hodie sit noua dies addita, ergo &c.

7 Item tempus ab heri est pars temporis ab hodie, sed pars non potest equari toti (æquaretur autem si infiniti dies præcessissent) ergo &c.

8 Itē si mundus fuisset ab æterno, fuissent infiniti homines, sed corrupto homine anima remanet, ergo essent infinitę anime. Hoc autē videtur impossibile, ergo &c.

9 RESPONSIÓ. Repugnat motui & cuiuscūq̄ creaturę sub motu fuisse ab æterno. Quod patet primō sic, in quibuscūq̄ est dare primum & vltimum illa sunt finita. Sed in reuolutionibus cæli acceptis seu præteritis quę sunt

sunt praeterita, vel esse potuerunt necesse est dare primam revolutionem, & ultimam, ergo necessario praecesserunt revolutiones finitae, & non infinitae, sed motus consistens ex revolutionibus finitis quantitate & numero non potest esse ab aeterno, ergo &c. Maior patet, sed minor probatur, quia in omnibus praeteritis revolutionibus fuit ordo durationis ita quod nunquam fuerunt plures simul sed semper vna post aliam in postsumendo, vel vna ante aliam in antefumendo, ergo cum quilibet accepta sit & omnes ex quo quilibet & omnes sunt praeterita, & prius necessario fuerunt praesentes, aut est accepta aliqua antequam nulla, aut non. Si sit accepta aliqua antequam nulla, habetur propositum, quia illa erit prima, nunc vero est dare ultimam acceptam, scilicet hodiernam, ergo &c. Si vero ne sit accepta, contra, ante omnes coniunctum acceptas nulla fuit prior. Perinde autem est quod ante omnes etiam coniunctum acceptas fuerit aliqua alia ab omnibus coniunctum acceptis, & quod ante quamlibet acceptam fuerit aliqua alia quia non sunt acceptae nisi quodam ordine vna ante aliam, & nunquam simul plures, ergo non sunt omnes acceptae nisi sit aliqua accepta quae includat omnes. Alioquin inter coniunctum acceptas non esset ordo.

10 Et confirmatur quia in postsumendo non essent acceptae omnes nisi esset aliqua claudens omnes, ergo nec in antefumendo. Fieret autem hoc magis manifestum si loco cuiuslibet revolutionis praeterite sumeretur aliquid permanens puta granum milii, & deduceretur in eis ratio praedicta. In tota enim multitudine granorum acceptorum ordine quodam scilicet, quod vnum fuerit acceptum ante aliud vel post aliud, & nullum aliter, necesse esset dare aliquod granum antequam nullum aliter acceptum, vel non omnia granum essent accepta propter ordinem accptionis, ratione cuius vnum includit aliud. Sic ergo patet quod in revolutionibus caeli est dare primam & ultimam, & hoc fuit innot. Vel potest sic formari ratio, quod necessarium esset ponere in accipiendis si deueniret ad hoc quod essent acceptae illud idem necessarium est ponere in iam acceptis. Sed in accipiendis si deueniret ad hoc vel essent acceptae vna post aliam, esset dare ultimam, ergo &c.

d. 44. q. 1.

11 Secundo patet eadem minor sic, aut inter revolutiones praeteritas fuit aliqua a qua reuolutio hodierna distat in infinitum, aut non. Si sic, illa fuit necessario prima, quia non potest esse maior distantia quam infinita: Si non, ergo non praecesserunt infinitae revolutiones, quia quanto plures praecesserunt, tanto est maior distantia alicuius illarum a reuolutione hodierna, si ergo a nulla earum distat reuolutio hodierna in infinitum, sequitur quod non praecesserunt infinitae revolutiones. Et sic quicquid datur semper, sequitur quod nullo modo potuerunt praecessisse revolutiones infinitae. Et ista ratio similis est, & eiusdem efficacitatis cum illa per quam probatum fuit primo lib. quod in entibus est dare necessario primum & perfectissimum, quia sicut in speciebus est ordo perfectionis per se, ita in partibus eiusdem motus est per se ordo durationis. Et sicut ex distantia finita, vel infinita secundum gradus perfectionis semper necessario concluditur quod sit dare primum & summum in perfectione, sic ex distantia finita vel infinita in revolutionibus motus caeli necessario concluditur quod est dare primam in duratione.

12 Ad hoc autem respondent quidam dicentes quod argumentum procedit ex falsa imaginatione, hac, scilicet quod in motu caeli sunt plures revolutiones, quod non est verum cum sit vnus, & continuus. Istud autem in nullo impedit rationem, quia etsi in motu non sint plures revolutiones distinctae per interpositionem quietis, sunt tamen plures per signationem sensus & rationis. Sicut in quanto continuo, pura in linea sunt plures partes aequales, non quidem actuali diuisione, quia iam non esset ibi continuitas, sed signatione. Si ergo ad probandum lineam continuam non esse infinitam sufficit probare quod in linea non possint signari infinitae partes aequales, puta bipedales, nec tamen propter hoc oportet actu secare lineam, sic ad probandum quod motus non fuerit infinitus sufficit probare quod in ipso non possunt signari infinitae partes aequales revolutiones, nec oportet eas sic signare quod actu diuidantur interiecta quiete. Patet ergo quod motus, vel creatura sub motu non potuit

esse ab aeterno impediendo ordine partium acceptarum in quibus necessarium est signare primam & ultimam.

13 Quod autem probatum est de motu caeli potest deduci in successiva generatione hominum, accipiendo Sortem genitum a Platone, & Platonem genitum a Cicerone, & sic ultra secundum lineam ascendendum, & secundum ordinem successione vnus ab vno, quia in talibus necesse est dare primum & ultimum, vt patet applicanti ad hanc materiam rationes prius factas.

14 Praeter hoc probari potest propriis rationibus quod generatio non potuit esse ab aeterno, quia & si esset possibile generationem fuisse ab aeterno, hoc maxime fuisset ponendo virum & mulierem creatos ab aeterno in quantitate perfecta, & virtute generandi, sed isto modo non fuit possibile, ergo non quocumque alio modo. Maior probatur, quia si alio modo fuisset possibile generationem fuisse ab aeterno, ponendo videlicet omnes homines fuisse genitos, quemlibet ab alio priore, & sic semper ita vt non esset deuenire ad aliquem creatum, & non genitum, si inquam hoc modo fuit possibile, similiter fuisset possibile primo modo, quia homo creatus ab aeterno coexistisset cuilibet homini genito, & omnibus. Et ideo secundum ipsum potuit generatio fuisse quodcumque potuit fuisse secundum alios. & sic probata est maior. Probatio minoris, homo creatus ab aeterno, aut prius fuisset, & posterius genuisset, & sic generatio non fuisset ab aeterno, aut non prius fuisset quam genuisset, sed mox cum fuisset genuisset. Sed hoc non potest esse: Probatio, quia agens per motum praexistit termino motus non solum natura, sed duratione, sed generans agit per motum alterationis, cuius terminus extrinsecus est generatio, ergo homo generans necessario praexistit omni generationi non solum natura, sed duratione. Et sic generatio non potuit esse ab aeterno, quia nihil praecedit aeternum duratione.

15 Concludit autem haec ratio non solum de hac generatione, vel illa, sed de generatione simpliciter, si bene aduertatur, quia quodlibet generans praecedit omnia genita ab eo etiam coniunctum accepta.

16 Item illud quod est de ratione geniti conuenit omni genito non solum per se accepto, sed coniunctum cum aliis, sicut quia de ratione medii est quod sit inter extrema, conuenit omni medio non solum per se sumpto, sed omnibus simul sumptis. Nunc est ita quod de ratione geniti per motum seu alterationem praecedente est quod sequatur duratione suam generantem, ergo hoc conuenit omnibus genitis simul sumptis, sed hoc esse non posset ponendo generationem ab aeterno, quare &c.

17 AD RATIONES in oppositum dicendum est, ad primam quod maior est vera accipiendo diuissim & non coniunctim. Quod patet, quia sicut non repugnat vni parti motus habuisse vniam alteram ante se, ita non repugnat etiam aliam habuisse post se. Vtrumque enim conuenit reuolutioni hesternae, quia alia eam praecessit, & alia eam secuta est, scilicet hodierna, & idem est de qualibet alia, quia nulli repugnat secundum se aliam praecedere & aliam sequi, & tamen impossibile est quod omnes quae possunt sequi sint secutae, & eodem modo impossibile est quod omnes quae potuerunt praecedere praecesserint, & causa est, quia in his quae accipiuntur successiuum & ordine quodam potest esse processus in infinitum in accipiendo, sed nunquam in accepto esse, neque in antefumendo, neque post.

18 Ad secundum dicendum per idem, quia in indiuiduis a fini, vel alterius speciei non est dare indiuiduum signatum quin potuerit esse per generationem a simili secundum speciem, sed in tota multitudine indiuiduorum coniunctum accepta necesse est dare aliquod indiuiduum (quodcumque sit illud) quod non est a simili secundum speciem. Cuius ratio est, quia tota species causam habet. Haec autem non potest esse aliquid illius speciei, neque vnum, neque plura, nisi esset circulario. Non vnum quidem, quia cum illud sit aliquid speciei, nec sit causa sui, non est causa totius speciei, nec plura si non sit circulario.

19 Ad tertium dicendum est quod Arist. ponendo mundum aeternum errauit non solum contra fidem, sed etiam contra rationem naturalem, & rationes per quas probatur suum intentum ostauit Physicorum, sunt omni homini intelligenti faciles ad soluendum. Et quaedam earum modis

modicum probabiles, quas non pertractamus ne prolixitas pariat tedium legenti.

20 Ad quartum dicendum est quod aeternitas motus non impeditur aliquo illorum impedimentorum, sed ex natura motus qui requirit ordinem partium in quibus acceptis necesse est dare primam & ultimam, ut deductum fuit.

21 RATIONES autem quae sunt contra aeternitatem motus factae in arguendo satis sunt efficaces saltem prima & ultima. Secunda enim & tertia non procedunt, quantum conclusio sit vera, quia licet infinito secundum quod infinitum non possit fieri additio, nihil tamen prohibet quod infinito ex ea parte qua non est infinitum possit aliquid addi. Verbi gratia, si poneremus columnam infinitam secundum longitudinem & non secundum latitudinem, posset ei aliquid addi secundum latum, sed non in longum. Si autem poneremus corpus vndique infinitum nihil omnino posset ei addi, similiter dato quod motus semper fuisset, nec habuisset durationis initium (habet tamen a parte post durationis terminum. Possimus enim nunc signare ultimam reuolutionem quae fuit.) Et ideo ante nihil posset addi, quia infinitus esset. Sed a parte post continuè aliquid potest addi, & additur quotidie. Ex hac autem parte vnum est maius altero, & vnum pars, & aliud totum. Et ideo argumeta illa non bene concludunt, quae vis conclusio illa sit vera.

22 Ad primum autem argumentum respondent quidam sic, quod non est inconueniens infinitas reuolutiones esse pertransitas quae nunquam fuerunt pertranscendae, sed semper pertransitae. Sed hoc non valet, quia contradictio nem implicat quod aliquid sit pertransitum aut praeteritum quod nunquam fuit praesens aut futurum.

23 Ad ultimam rationem quidam dicunt quod ratio non concludit, quia vel potest dici quod vnus intellectus sit in omnibus hominibus sicut posuit commentator, vel potuit mundus fieri sine hominibus, vel finitae animae perfectissimae, & animassent infinita corpora successiuè. Potest enim Deus facere quod anima quae separatur ab vno corpore perficiat aliud, & secundum hoc non erit necessarium ponere infinitas animas actus. Sed istud non valet, quia non debet defendi veritas per illud, quod est falsum, & erroneum. Ponere autem vnam animam omnium hominum est falsum, & impossibile, etiam secundum Philosophiam, ut patet infra. Est nihilominus erroneum secundum fidem. Et ideo per hoc non potest, nec debet defendi veritas de possibilitate aeternitatis mundi. Quod autem subditur quod deus potuit facere mundum sine hominibus, aut quod vna anima duo vel plura corpora animaret, verum quidem est, sed non soluit argumentum. Queratur enim quare non potuit facere mundum cum hominibus ita quod vna anima non informaret plura corpora, nec simul nec successiuè, & tunc corruptis hominibus remaneret infinitae animae. Nec erit assignare rationem quare non sit possibile vnum sicut aliud. Non enim est magis impossibile homines fuisse ab aeterno, quam quodcumque aliud, nisi quia aliquid est in homine incorruptibile per naturam, scilicet anima intellectiva. In aliis autem nihil. Sed illud non valet, quia quod est corruptibile per naturam potest Deus conseruare per gratiam ne corrumpatur (sicut lapidem) & tunc concluditur illud quod de animabus.

24 Alii soluunt dicentes quod in qualibet reuolutione signata potuit Deus animam vnam creare, sed non in omnibus absolute loquendo, quia deus nihil potest producere nisi sub aliquo ordine, infinitum autem omnem ordinem subterfugit, ideo per nullam potentiam possunt infinita produci. Sed illud videtur absque ratione dictum. Si enim in qualibet reuolutione per se accepta & signata potuit Deus vnam animam creare, potuit & in omnibus. Omnes enim possunt & potuerunt signari, etsi non a nobis accipientibus vna post aliam, tamen a deo consignante simul & actu quolibet earum, & omnem, quare ergo Deus (qui quamlibet & omnes signauit) in quolibet simpliciter vnam animam producere non potuit, ut essent tot animae quot reuolutiones pertransitae, non videtur.

25 Item si anima desineret esse cessante reuolutione, siue per naturam, siue per voluntate diuinam subtrahentem influentiam suam, nullus negaret quin deus potuisset tot animas produxisse quot reuolutiones. Non enim concedit

tur infinitas in reuolutionibus, & negatur in animabus, nisi quia reuolutiones transeunt, & animae manent, & ideo infinitas animarum esset actus, & simul, quod non creditur possibile. Infinitas autem reuolutionum non est simul, sed successiuè, quod est possibile (ut putat.) Potest ergo deus producere tot animas quot fuerint reuolutiones, quarum quaelibet cessaret cessante reuolutione.

26 Ex hoc sic arguitur, quae cum sunt talia, quod nulli eorum repugnat esse, nec habent oppositionem adinuicem per quam vno posito aliud destruat, nec successio in esse necessarium ordinem, talia possunt simul esse sicut successiuè. Quid enim impediret eorum simultatem? nihil, ut videtur. Sed infinitarum animarum productarum vel possibilitabilium produci in infinitis reuolutionibus modo quo statim probatum est, etiam nulli earum repugnat esse, nec comparata ad alteram habet oppositionem per quam vna excludat aliam, nec habet successiois necessarium ordinem, ergo possunt esse simul sicut possunt esse successiuè. Non valet ergo solutio quam isti dant ad argumentum, nec motiuum eorum est sufficiens, quia si essent infinitae animae quaelibet earum haberet eundem ordinem ad Deum, & alias res, quem habent animae quae modo sunt, ipsius autem rem infiniti secundum multitudinem secundum se non oportet querere aliquem ordinem cum secundum se non sit aliquid vnum, nec ens.

27 Et est notandum quod Aristoteles qui posuit motum ab aeterno, & Physicè videtur contradicere ei quod dixerat in 3. li. deters minando de infinito. Ibi enim dicit quod infinitum non est aliter possibile esse nisi in potentia accipiendo vnum post alterum, sic tamen quod omne acceptum sit finitum semper in successiuè, de quibus posuit exemplum, ut sunt dies & agon, & anni. Unde secundum ipsum in illo passu dies accepti non possunt esse infiniti, quantum non sint simul, qui quid ipse dicat postea in 8. libro.

QUESTIO QUARTA.

Utrum potentia creandi possit communicari creaturae.

Tho. 1. q. 45. art. 5. Scot. in 4. d. 1. vide Magistrum 2. d. 18. cap. Soleat etiam.

Secundo principaliter queritur, utrum potentia creandi possit communicari creaturae. Arguitur quod non, primo sic, Cui non potest communicari quod sit primum agens simpliciter et non potest communicari quod agat nullo supposito, sed creatura non potest communicari quod sit primum agens simpliciter, quia iam non esset creatura, sed creator, ergo & cetera. Minor patet. Probatio maioris, quia quanto agens est superius tanto pauciora supponit (sicut pauciora supponit natura quae sola supponit materiam quae ars quae supponit ens actus.) Et hoc est, quia ars naturae innititur tanquam priori agenti. Sed agens supremum ut deus sicut nulli alii agenti innititur, ita nihil ex parte facti supponit. Ex quo videtur quod per hoc competit alicui agenti quod nihil praesupponat ex parte facti, quia est primum agens simpliciter non innixum alteri, & ideo cui non potest communicari vnum nec alterum, & haec fuit maior.

2 Item super infinita distantia, non potest nisi virtus infinita, sed inter terminos creationis est distantia infinita ergo & cetera. Maior supponitur. Sed minor probatur dupliciter. Primo quia illa distantia est infinita quae non potest dari maior. Sed non potest dari maior distantia quam sit inter ens & nihil, ergo illa est infinita. Secundo, quia inter quaecumque contradictoria est aequalis distantia cum contradictio sit vna oppositio, sed inter deum & non deum, & inter totum ens & purum nihil est infinita distantia, ergo inter quodcumque ens creabile & nihil sibi correspondens est distantia infinita.

3 Item inter ens & nihil nulla est proportio, ergo similiter inter virtutem quae producit ens ex ente, & virtutem quae producit aliquid ens ex nihilo, nulla est proportio, sed cuiuslibet finiti ad finitum est aliqua proportio, ergo necesse est altera illarum duarum virtutum esse infinita, illa videlicet quae producit aliquid ex nihilo per creationem. Sed infinita virtus non potest communicari creaturae, ergo & cetera.

4 Item sic, Ad hoc quod agens creaturam producat totam rem debet se toto agere. Sed nulla creatura potest se toto agere, cum non sit actus purus, & nihil agit nisi secundum quod ens actus, ergo & cetera.

5 Item illud cuius actus non est substantia non potest creare (quia actio eius supponit subiectum, sed actio creatur non est substantia, ergo &c.)

6 Item si creatura potest creare, aut hoc potest ut principale agens, aut ut instrumentum. Non ut principale agens, quia illud est Deus, nec etiam ut instrumentum propter duo. Primo, quia instrumentum non agit nisi ut motum, & per motum, & tale supponit subiectum.

7 Secundo, quia instrumentum disponit ad effectum principalis agentis, sed in creatione non potest precedere aliqua dispositio cum creatio fiat nullo praesupposito, ergo, &c.

8 **IN CONTRARIUM** arguitur, quia quancumque agens potest excedere effectum secundum se, tamen semper videtur aequari in actione & passione, quia nec aliud nec plus agit agens quam recipiat patiens, sed creatio passio non arguit in creato, nec infinitam potentiam passivam, vel aliquid infinitum productum, ergo nec creatio actio arguit in createe potentiam infinitam actiuiam, sed propter aliud non negatur quin creatio possit communicari createe, nisi quia creatio videtur infinitam potentiam requirere in createe, ergo &c.

9 **RESPONSIO.** Creatio dicitur productio alicuius nullo supposito. Quod potest dupliciter intelligi. Vno modo quod nihil supponatur ex parte agentis, sed creas innitatur solum suae virtuti, & hoc modo secundum omnes creare non potest communicari createe & rationabiliter. Cui enim potest communicari quod non innitatur priori agenti, illi potest communicari quod non fit ab alio tantquam a causa agente, semper enim effectus innititur suae causae, praecipue si sit causa eius conferuatiua. Tunc enim innititur ei in esse, & per consequens in omnibus perfectionibus quae praesupponunt esse. Sed nulli createe potest communicari quod non fit ab alio agente, quia nomen createe importat oppositum, scilicet quod fit ab alio, ergo nulli createe potest communicari quod creetur nullo supposito ex parte agentis.

10 Alio modo potest intelligi quod nihil supponatur ex parte facti, licet creas innitatur priori agenti. Et istud potest esse dupliciter. Vno modo quod communicetur creatio secundum totum ambitum, & istud non potest esse, quia cui potest communicari creatio secundum suum totum ambitum, illud potest creare omne creabile. Sed nulla creatura potest creare omne creabile (sicut seipsum quae est de numero ere abiliu) ergo &c. Alio modo quod communicetur creatio seu potentia creandi quantum ad aliquem specialem effectum.

11 Et sic adhuc dicitur quidam quod nec isto modo potest communicari createe quod creetur. Quod probatur inductiue in diuersis creaturis. Primo de creatura spiritali (sicut est angelus) Et hoc sic, nullus actus accidentalis necessario requiritur in createe substantia tanquam prior necessario ipso termino creationis, sed intellectio angeli est quidam actus sibi accidentaliter qui necessario requiritur in angelo tanquam prior quocumque productum per angelum ad extra, ergo angelus nullus potest creare aliquam substantiam. Maior probatur, quia ille actus qui est necessario prius termino creationis, aut requiritur tanquam actus productiuius termini, aut tanquam formale principium productiuium eius. Exemplum primi est de calefactione respectu caloris causati in ligno. Exemplum secundi est de calore in igne respectu calefactionis ligni. Primo modo non requiritur aliquis actus accidentaliter in createe, quia actus productiuius termini, & terminus productus sunt in eodem, ergo ad producendum aliquid extra non requiritur in producente aliquis actus manens qui sit actus productiuius. Nec secundo modo, quia actus accidentaliter non potest esse formale principium creandi substantiam, quia omnis forma actiua requiritur potentiam receptiuam in essendo necessario requiritur potentiam passiuam in agendo, alioquin terminus actio nis esset absolutior principio suo, quod est inconueniens, quia absolutio a materia dicit perfectionem, terminus autem productus non potest esse perfectior principio suo productiui. Cum ergo ois actus accidentaliter in agente supponat potentiam receptiuam in essendo, sequitur quod requirit potentiam receptiuam in agendo, & ita non poterit esse principium creandi cum creatio nihil supponat, & sic probata est maior. Postea probabitur minor.

12 Sed prius excludatur quaedam instantia quae datur contra probationem maioris. Vna instantia est, quia accidens in virtute substantiae potest esse principium producendi substantiam tanquam instrumentum substantiae, quauis hoc non possit in virtute sua. Exemplum de calore quia est instrumentum generandi carnem, ut patet. *i. de Anima*, ergo similitur potest esse in proposito respectu substantiae createe.

13 Sed istud non valet, quia omne instrumentum vel attingit effectum principalem vel disponit ad ipsum. Neutrū potest dari in creatione. Non primum quod accidens possit attingere principalem effectum, scilicet substantiam, quia si principale agens esset agens vniuocum, non requireret nec cessario aliquid agens medium inter formam suam & effectum. Agens autem aequiuocum est perfectius vniuocum, ergo non necessario requireret medium, & per consequens non habet instrumentum per quod agat tantum. Nec secundum quod potest esse dispositio praevia, quia nihil supponitur creationi quo disponatur.

14 Et confirmatur istud, quia ubi accidentia sunt instrumenta substantiae generantis non attingunt terminum principalem, sed tantummodo quandam dispositionem sicut apparet de qualitatibus alterationis etiam elementorum quae non attingunt formam substantialem. Alioquin quaelibet esset principium immediate actiuium in materia receptiuam formae substantialis quod est inconueniens, quia quod non potest recipi nisi in substantia composita in essendo nec potest agere nisi in substantia composita, & ita non in materia. Per hoc patet quomodo fit illud intelligendum quod dicitur secundo de anima de calore. Calor enim pro tanto est instrumentum animae generando carnem animatam pro quanto in alteratione praevia ad generationem est principium alterandi, non quia in instanti generationis attingat formam carnis tanquam termini, sicut nec attingit materiam substantialem carnis tanquam passum.

15 Alia instantia est contra eandem materiam per dictum Arist. 7. Met. qui dicit quod domus extra sit a domo in anima, & tamen domus habet verius esse in re extra quam in anima, quia in re extra habet esse reale, sed in anima non habet nisi esse cognitum quod est esse diminutum, ergo imperfectius puta esse in cognitione potest esse principium productiuium perfecti, scilicet esse in re extra.

16 Ad hoc dicendum est quod minor est falsa, quia esse domus in anima est verius esse & perfectius quam esse eius in re extra. Esse enim domus in anima est ipsa cognitio animae a qua domus denominatur cognita, & haec cognitio est quaedam naturalis perfectio animae, forma autem domus extra non est nisi ordo & compositio partium quae est aliquid accidentale & imperfectius ipsa cognitione, & ita perfectius non est ab imperfectiore sed e conuerso, veruntamen, quantum cognitio domus sit perfectior quam forma domus, tamen esse cognitum domus non est verius esse domus quam esse eius in re extra, quia non est eius esse formale sed cognoscens, semper tamen est simpliciter perfectius, ubi autem substantia esset cognita, ibi cognitio quae esset accidens semper esset omni modo imperfectior ipsa re cognita. Et ideo nulla cognitio quae esset accidens potest esse principium producendi substantiam, nec per consequens creandi. Et sic probata est maior rationis principalis, & instantia contra eam euacuat.

17 Minor probatur quantum ad duas eius partes. Et primo quantum ad hanc quod intellectio angeli sit accidens, quia non repugnat intellectui angeli distincte intelligere quodcumque intelligibile, etiam si intelligibilia possent esse infinita alterius rationis, & ita disparata quod nullum eorum esset principium cognoscendi alterum. Nam istis positis ex parte intelligibilis, non inuenitur ex parte intellectus repugnancia quin possit intelligere distincte & perfecte quodlibet illorum & omnia illa, sed constat quod repugnancia est dicere quod possit hoc facere per vnicam intellectiorem, ergo non repugnat angelo habere aliam & aliam intellectiorem, hoc autem non potest esse si intellectus esset idem realiter cum substantia angeli, ergo est accidens.

18 Assumptum probatur tripliciter. Primo ex finitate intellectiōnis. Secundo ex finitate intellectus angelici. Tertio ex finitate essentiae angeli. Ex primo sic, si vnicus esset intelligere respectu infinitorum obiectorum disparato-

Rum

rum includeret in se eminenter perfectiones infinitarum intellectuum que natę esse haberi respectu illorum, sed non possent continere eminenter, nisi esset in se infinitum intensiue, quia ubi illę intellectiones essent secundum proprias rationes, ibi essent infinite perfectiones alterius rationis propter obiecta que posita sunt infinita esse, & disparata, ergo ubi sunt eminentiori modo oportet quod inueniatur aliqua infinitas non extensiva, quia illam tollit unitas actus, ergo intensiua quod est impossibile.

19 Ex secundo sic arguitur, quorum potest esse unum intelligere illa possunt simul intelligi, sed intellectus finitus non potest simul intelligere infinita obiecta disparata, quia maioris virtutis est simul intelligere plura disparata quam pauca, ergo infinite virtutis est simul intelligere, & distinetur infinita disparata.

20 Ex tertio sic, una intellectio requirit unum obiectum primum & unam formalem rationem obiectiuam, sed hoc non potest dari in proposito, ergo &c. Probatio minoris, illud unum obiectum non possit poni nisi essentia angeli, quia omnia ponantur ab inueniente disparata, sed hoc non potest esse propter duo. Primo quia aliquod intelligibile ab angelo est infinitum. Nullum autem finitum potest esse ratio intelligendi perfecte obiectum infinitum. Secundo quia nihil potest esse ratio cognoscendi plura alterius rationis nisi eminenter contineat omnia illa secundum cognoscibilitatem, & per consequens secundum entitatem, ergo nihil potest esse principium cognoscendi infinita disparata si essent, nisi eminenter contineat infinita. Et sic erit infinitum quod non ponitur de essentia angeli. Et ita probata est prima pars minoris.

21 Secunda pars principalis quaerit sit cōcessa ab Aui. 9. Met. ca. 2. tamē adhuc probatur, quia natura intellectiua nihil producit nisi intelligēdo & volēdo, sed angelus est huiusmodi, ergo &c. Et sic probatū est quod substantia purę spiritualis puta angelus nihil potest creare.

22 Secundo probatur principaliter quod nulla forma materialis potest creari ab aliqua creatura sic, Forma que creatur prius est naturaliter a causa efficiente que informet materiam, sed forma materialis non potest esse ab aliqua creatura prius naturaliter que informet materiam, &c. Probatio maioris, quia si forma non est prius naturaliter quam informet materiam, ergo non accipit esse a sua causa nisi illa actione qua subiectum informaretur ab ea, sed illa informatio est mutatio proprie dicta & non creatio, quare &c. Probatio minoris, nulla creatura potest dare formam materialis esse per se, quia si posset dare esse tale posset ipsum conferuare, ita ut per se realiter subsisteret, quod non est possibile, quare &c.

23 His tamen non obstantibus dicendum est quod quantum nulli creature sit communicatum quod creet, tamen non apparet aliqua ratio conuincens necessario quod deus non posset facere aliquam creaturam que posset aliquid producere nullo supposito in quod agat. Et quia tota repugnancia que videtur esse in creatura ne creetur fundatur in duobus, unum est quod creatio videtur requirere infinitam potentiam in creante propter infinitam distantiam entis a non ente. Aliud est quod omnis actio creature videtur esse per motum, vel mutationem que necessario supponunt subiectum. Ideo hec duo infringuntur per ordinem.

24 Primo ergo ostenditur quod non est necessarium illud quod creat habere virtutem infinitam propter infinitam distantiam non entis ab ente. Quod patet primo per hoc quod ens & nihil non sunt termini creationis ut patet ex prima questione. Quod enim creatio dicitur esse de nihilo solum intelligitur negatiue, quia non est de aliquo, nec in ratione subiecti, nec in ratione termini. Ex quo potest formari talis ratio, quandoque actio non habet subiectum, nec terminum a quo, sed solum effectum productum, nisi si effectus productus secundum se arguat infinitatem virtutis productiue non poterit ex aliquo quod sit in actione argui infinitam virtutis productiue, quia non est ibi aliud, nec subiectum, nec terminum, nec distantiam terminorum, sed creatio est huiusmodi, ut declaratum est in 1. que est, ergo &c. Effectus autem creationis secundum se non arguit infinitam virtutem agentis cum ipse sit finitus, ergo &c.

25 Secundo, quia dato quod ens & nihil essent termini creationis, tamē nullam habent inter se distantiam. Sicut enim

differentia & diuersitas non est nisi entium inter se. (Ens enim non est diuersum nec differens a non ente, quia idē & diuersum sunt differentie entis) sic & distantia non est nisi entium, & non entis, a non ente. Quod patet in speciali distantia que est secundum locum. Cælum enim non distat a nihilo ultra cælum distantia locali. Et per eandem rationem illa non distat distantia formali, quorum unum est ens & aliud nihil.

26 Tertio, quia dato etiā quod distarent, illa distantia non esset infinita. Quod patet dupliciter. Primo, quia illa distantia non est infinita quia est dare maiore, sed est dare maiorem distantiam quam sit illa que est entis a non ente, quod ponitur terminus creationis, eo quod non ens quod implicat contradictionem multo plus distat ab ente quam illud non ens, quia ex ipso nihil plus potest fieri, quare &c. Item positio vel amotio subiecti non auget vel minuit distantiam terminorum. Tantum enim distat ab inueniente albedo & nigredo si sint separate, sicut si essent in subiectis, sed ens & nihil circa subiectum suppositum, non distat in infinitum, quia forma & priuatio circa subiectum se habent ut ens & nihil, quorum distantia absolutam agens naturale actione naturali, ergo exclusio omni subiecto ens & nihil non distat in infinitum.

27 Secūdum patet, videlicet quod non est de ratione actionis creature quod sit motus vel mutatio que supponit subiectum, quia non minus est possibile Deo separare accidens a subiecto dum producat ab agente naturali quam postquam productum est, sed secundum est possibile, sicut fit in sacramento altaris, ergo & primum. s. quod accidens producat non ex subiecto, nec in subiecto ab agente naturali cooperante tamen Deo non ad productionem, sed ad talem existentiam rei productę, & per consequens producat ab agente mutatione que subiectum requirit.

28 Ad primum argumentum in oppositum dicendum quod nulli creature potest communicare quod agat nullo supposito ex parte agentis, hoc enim est proprium primi agentis. Sed agere nullo supposito ex parte facti potest communicari alij primo agente. Et ad probationem dicendum est quod secundum ordinem institutum agens creatum agens per artem supponit aliquid productum per agens naturale, non quia agit per artem (cum Deus qui nihil supponit, agit per artem) sed quia forma rei artificiandę ad quam solum producendum se extendit virtus talis agentis est ordo vel cōpositio que nulla virtute potest esse nisi in ordinatis & cōpositis. Et similiter agens naturale supponit materiam a Deo productam, quia agit per solum formam (que est altera pars cōpositi) & que non potest producere nisi formam que de natura sua est altera pars cōpositi, nec effectus productus sit perfectior suo principio productiuo. Sed ex hoc non sequitur quin Deus possit producere aliquam creaturam puta intelligentiam que se tota ageret producendo aliquid aliud secundum se totum.

29 Ad secundum dicendum per interemptionem minoris, quia creatio non habet proprie terminos, ut supra probatum fuit vel si aliquo modo toleretur quod ens & nihil sint termini creationis, inter tales terminos cum non sint ambo positivi nulla est distantia, ut similiter fuit ostensum, vel si est aliqua distantia illa non est infinita. Et quantum hoc fuerit sufficienter probatum, tamen ad maiorem euidenciam notandum est quod quando extrema distantie sunt mediata, tunc tanta est distantia quanta est quantitas medię interpositi, siue sit quantitas extensiua, siue intensiua, ut patet in distantia terminorum quantitatiuorum, & in distantia qualitatium contrariarum habentium medię. Sed quando distantia est inter extrema, immediata, tunc tanta est precise distantia extremorum quantum unum extremum est maius altero. Quod patet, quia ubi non est medium inter extrema nihil aliud est ibi distantia, nisi excessus unius extremi super alterum. Aliter enim non potest ibi sumi. Cum igitur ens finitus creatum non excedat in infinitum nihil sibi correspondens, quia non excedit nisi tantum quantum ipsum est, patet quod non est ibi distantia infinita. Ex quo patet quod illud quod assumitur ad probationem istius minoris, non est verum, scilicet quod inter quodcumque ens & nihil sibi correspondens sit tanta distantia quod non possit dari maior quia sicut est maior excessus dei ad non deum, vel totius entis, ad totum non ens, quam sit istius entis puta lapidis ad non

non ens sibi correspondens, sic maior est distantia dei a non deo, vel totius entis a toto non ente, q̄ fit hiatus entis puta lapidis a non ente sibi correspondente.

30 Per idem apparet ad secundam confirmationem eiusdem minoris, scilicet q̄ non est eadem distantia inter omnia contradictoria, quia maior est distantia inter deum & non deum, & inter totum ens & nihil, quam fit inter aliquid quod ens creatum & nihil sibi correspondens.

31 Ad tertium dicendum est quod inter ens & nihil nulla est proportio, quia alterum est positivum & alterum purè negativum, & positivum ad non positivum nulla est proportio. Similiter nulla est proportio distantiae quae est inter duo entia creata ad distantiam si qua fit inter ens creatum & nihil, non propter infinitatem alicuius earum, sed quia una est positiva & inter extrema positiva, altera vero habet unum extremum negativum. Ex ista autem improprietate non sequitur q̄ virtus quae potest super unam distantiam fit improprietabilis virtuti quae potest super aliam, ut patet per exemplum simile. Nulla est enim proportio distantiae inter lumen & tenebras ad distantiam caloris a frigidityte, cum tamen quaelibet sit finita, & eadem virtus solis potest super utrumque, quia aërem de tenebra deducit ad lumen, & de frigidityte ad calorem.

32 Ad quartum dicendum quod non oportet q̄ illud quod producit totam rem agat se toto, sed sufficit q̄ illud per quod agit contineat virtualiter omne illud quod producit. Concedendo etiam maiorem. Potest dici ad minus rem q̄ Deus potest facere creaturam quae se tota agat, puta intelligentiam aliquam quae non haberet materiam partem sui, sed secundum se totam esset actus & ageret, nec propter hoc esset actus primus, quoniam non esset actus per mixtus potentiae quae est materia.

33 Ad quintum dicendum quod actio quae est sine motu, est idem cum termino producto, nisi q̄ includit respectum ad producens. Et ideo non est necesse quod requiratur subiectum praeter productum, nisi natura producti hoc habeat. Propter quod cum agere sine motu possit communis creaturae, non oportet quod omnis actio eius supponat subiectum quantum est ex natura actionis ex qua sola procedit argumentum.

34 Ad sextum dicendum est q̄ si agens instrumentale vocetur omne illud quod supponit aliquid aliud agens, sic omnis creatura in actu suo quantumcunque naturali est agens instrumentale, quia supponit primam causam cui innititur in esse, & per consequens in agere. Et tale instrumentum non oportet q̄ agat ut motum vel per motum, quia neq̄ angelus mouetur quoquam motu ad hoc ut agat, neq̄ caelum necesse esset moveri, ut quidam dicunt ad hoc ut ageret. Rursum agens naturale non oportet q̄ disponat ad effectum ulterioris agentis. Alioquin omnem actionem naturalem sequeretur effectus qui esset a primo agente, quod non est verum. Si vero agens instrumentale vocaretur solum illud quod de se non exiret in actum, nisi speciali * motione facta circa ipsum (sicut est in securi) sic verum est quod assumitur, & tale agens non posset creare huiusmodi actione. Non oportet autem quod omnis creatura sit instrumentum dei hoc modo, quia nec est etiam in actionibus naturalibus, ut dictum est.

35 Ad rationes per quas probatur idem per inductionem in creaturis diversis. Respondendum est. Et primo ad illam per quam probatur est quod angelus non possit creare. Dicendum est quod nec maior probatur sufficienter, nec minor, maior non, quia aliquis actus praerogatur termino actionis, qui nec est productio termini, nec principium formale productivum, sed est directivus vel inclinativus siue explicativus principii productivi respectu productionis & termini producti. Et istud est in omni agente per cognitionem seu per artem, quia intelligere & vel le quae necessario praerogatur termino producto non sunt productiones, nec principia formalia productiva, sed unum eorum (scilicet intelligere) est directivum, & aliud (scilicet velle est inclinativum seu applicativum principii activi ad agendum, ut patet in actione quae fit per artem humanam, quia intelligere & velle solum applicat membra corporis in quibus est virtus seu potentia faciendi opera artis, & id est in operibus naturalibus quae praerogunt cognitionem tam in homine quam in brutis. Homo enim

generat hominem, & equus equum praecognoscendo & appetendo, sed cogitare & appetere non sunt generare, nec principia formalia quibus fit generatio, sed solum applicantia activa passiva. Et idem esset de igne, si generaret ignem praecognoscens & volens.

36 Ex quibus patet quod non omnis actus qui necessario praerogatur termino actionis est productio vel formale productivum termini. Sed est quandoque actus directivus vel inclinativus principii activi respectu actionis, & tali actui solum per se convenit quod sit directivus & inclinativus, quod autem sit substantialis vel accidentalis hoc accidit & variari potest. Et sic patet quod maior propositio non est probata.

37 Item nec minor sufficienter probatur. Habet enim duas partes. Una est quod angelus nihil producit nisi intelligendo & volendo, & haec conceditur. Alia est q̄ intelligere & velle angeli necessario sunt accidentia, & hoc non bene probatur, imò ad eius probationem assumitur unum manifeste falsum, videlicet quod non repugnat intellectui angelico distincte intelligere quaecumque intelligit, etiam si intelligibilia essent infinita alterius rationis, & ita separata quod nullum eorum esset principium cognoscendi alterum. Hoc enim est impossibile, quia aut esset per unam intellectionem, aut per plures. Non per unam, quia illa esset infinita, ut ipsi dicunt. Nec per plures, quia illae necessario essent infinitae numero, cum nullum eorum esset ratio intelligendi alterum, & sic essent totae intellectiones quot essent intelligibilia. Hoc autem non posset esse. Primo, quia intelligendo unam post alterum distincta intellectione nunquam poterit deueniri ad infinitum actum. Secundo, quia si esset deuentum aliqua illarum intellectionum esset infinita, quia cum intellectiones sint alterius & alterius rationis, & per consequens alterius perfectionis, si esset in eis processus in infinitum esset deuentum ad aliquam intellectionem infinitam, quia semper procedendo augetur perfectio, & sic impossibile est q̄ angelus possit intelligere simul vel successiue per unam intellectum onem vel plures, intelligibilia infinita alterius rationis quin semper sequatur intellectionem aliquam esse infinitam, quod est impossibile, unde sicut infinitas specifica repugnat enti, ut probatum fuit primo libro, sic repugnat cognoscibilitati.

38 Si autem isti dicerent quod non repugnat intellectui angelico intelligere omnia intelligibilia diversarum rationum quae sunt & esse possunt cum talia sunt finita, concedendum est eis, sed non esset concedendum quin hoc posset fieri per unam intellectionem. Nam intellectus beatus humanus vel angelicus videns Deum videt in ipso omnes res creatas & creabiles quantum ad suas quidditates specificas, ut probabitur libro 4. Et tamen cognitio beati intellectus angelici vel humani est finita, unde ex sola finitate non potest sufficienter argui q̄ angelus non possit intelligere omnia intelligibilia naturalia unice intellectione quae sit substantia.

39 Ad aliam rationem per quam probatur quod nulla forma materialis potest creari ab aliqua creatura. Respondendum est per interemptionem minoris. Omnis enim forma a quocumque producta prius ordine naturae, est aliquid in se q̄ vnita materiae, quoniam simul sunt secundum tempus, quia unio vel compositio supponit omnia vnibilia seu componibilia, sed non conuerso, nec propter hoc potest forma materialis per se existere sine materia vel subiecto, quia multa quorum unum est prius altero ordine naturae sunt inseparabilia duratione, ut subiectum & sua passio, & omnia accidentia quae dicuntur inseparabilia.

QUESTIO QUINTA. Vtrum Deus agat immediate in omni actione creaturae.

Tho. 1. q. 103. ar. 6. & q. 105. ar. 5. Dur. inf. d. 37. q. 1.

1 Circa tertium principale quaeruntur duo. Primum est vtrum Deus agat immediate in omni actione creaturae. Secundum est vtrum Deo conueniat agere propter finem. Ad primum sic proceditur. Et arguitur q̄ Deus agat immediate in omni actione creaturae, quia sicut se habet R. a vnitas

Sup. q. 1. m. 11.

* aliis in nouatione

m. 11.

d. 41. q. 2. & d. 44. q. 2.

d. 40. q. 2.

m. 20.

vnitas ad constituendum numeros in ratione cause materialis, sic se habet Deus ad creaturas in ratione cause agentis. Sed vnitas immediatē sic se habet ad numeros quos sui additione cum aliis numeris constituit omnem numerum præter binarium quē ipsa per seipsam vel in se replicata constituit, addita enim binario constituit ternarium & addita ternario constituit quaternarium, & sic de omnibus, ergo similiter Deus cum aliis agentibus immediatē producit omnem effectum præter primū quem producit per seipsam solum.

2. Item sicut se habet esse ad esse, sic agere ad agere, sed creatura omnino non esset nisi Deus immediatē ei adesset, ergo creatura aliquid non ageret nisi Deus immediatē coageret.

3. IN CONTRARIUM est, quia si Deus immediatē ageret omnia actio creaturæ superflueret, hoc autē est inconueniens, ergo &c.

4. RESPONSIO. Hæc questio vnum supponit, & aliud querit. Supponit quod tam Deo quæ creaturæ competit agere. Alioquin questio non haberet locum. Et de Deo quidē nulla est dubitatio cum demonstratum sit à Philo. totum vniuersum esse ab vno principio quod dicimus deum. De creatura autē quantum aliqui pauci quandoque senserint quod omnino nihil agat, puta quod à ignis non calefacit, sed Deus creat calorem, & sic de omnibus, tamen quia hæc opinio tollit à rebus proprias operationes tollit etiā iudiciū sensus quo experimur res creatas inuicem agere, ideo nunc ab omnibus refutatur tanquā improbabilis.

5. Supposito ergo quod deus & creatura agant, queritur vtrum deus agat in omni actione creaturæ immediatē, & dicunt aliqui quod sic. Et hi bifurcantur. Quidam enim dicunt tales effectus fieri à deo in quantum habent esse, à creatura autē in quantum habent esse determinatū. Quod nituntur sic probare, nullius rei totum esse sumit principium ab aliqua creatura cum ad esse rei faciat materia quæ à solo deo creatur. Ad distinctionem autem esse nihil facit materia, sed solum forma quæ creatura etiā impræsupposita materia inducit. Ex hoc sic, Deus creans materiam operatur immediatē ad esse rei, creatura autem dans formam ad esse distinctum. Esse autem est magis intimum rei quæ ea per quæ terminatur, vnde remanet aliis remotis, vt dicitur prima propositione de causis, ergo in omni re Deus est tam intimus & immediatius operans quàm aliqua creatura.

6. Hæc autem responsio non videtur esse ad propositū. Assumit etiā falsum. Quod non sit ad propositum patet, quia aliud est dicere quod Deus producat immediatē aliquid quod est in creatura. Materia quæ est altera pars substantiæ compositæ quod vtrique verū est, nec hoc querit questio. Aliud est dicere quod Deus immediatē producat omne illud quod producit creatura. Cum enim actio creaturæ attingat formam vt terminum suæ actionis & non materiam (vt ipsimet dicunt) querimus vtrum ipsam formam rei naturalis ad quæ immediatē attingit actio creaturæ attingat etiā necessario actio Dei immediatē, ipsi autē pertractant primum & non secundum, vt patet ex medio quod adducunt, & ideo non est ad propositū. Assumit etiā falsum, quod enim dicunt quod esse intimius est rei quæ quæ ipsum determinat, si intelligitur quod esse in potentia sit intimius rei quæ esse in actu per quod determinatur, falsum est. Sicut enim per formam quælibet res est verius id quod est quàm per materiam (vt dicitur. 1. Phyl.) sic esse actu est verius & intimius esse rei quæ esse in potentia. Si autem intelligatur quod esse actuale in sua communitate sumptum intimius est rei quàm ea per quæ determinatur ad hoc esse vel illud quod est esse viuens vel intellectuale, tunc variatur propositum, vt de se patet. Quod etiam non videtur verum, quia quæ penitus sunt idem, vnum non est intimius rei, sed esse & determinatum esse in vna & eadem re, sicut in planta sunt idem re, viuere enim in viuentibus est esse, ergo vnum non est rei intimius quæ alteri loquendo realiter, secundum rationem tamen esse in communi intimius est rei quæ perfectiones determinantes ipsam. Et secundum intellectū nostrū prius aduenit & posterius recedit. Separatur enim secundū rationem ab aliis, quia cōmunius vt in præallegata propositione dicitur. Sed ex hoc non potest haberi quod Deus immediatius operetur in omni re quæ

1. d. 2. q. 2.
secunde par
tis.

aliqua creatura, imò nec quod operatur immediatē, quia vniuersalia non fiunt nisi fractione singulari, & ideo res non sunt ab aliquo in quantum habent esse, nisi quia sunt ab eodem in quantum habent determinatū esse, cuius oppositum pro conclusione ponit hæc opinio.

7. Alii tenent eandem conclusionem, sed alio modo quo ad aliud. Dicunt enim quod duo sunt genera effectuum: quod enim sunt solum à solo Deo creatura nihil cooperante, vt angelus vel cælum, & tales effectus sunt à Deo immediatē & totaliter, id est, secundū omnem modum, & de illis non procedit questio. Alii sunt effectus causarum secundarum & non solum dei, & de istis est questio. De quibus dicitur quod sunt à deo toti immediatē, non tamen totaliter hoc est, non secundum omnem modum, quod declarant, quia vt dicunt deus agit vniiformiter in omnibus rebus quantum est de se, ita quod tota diuersitas in effectibus est ex diuersitate recipientium influentiā diuinam propter diuersitatem suarū naturarum. Et ideo effectus ex ea parte quæ sunt ex causis secundis habent distinctionem, & non ex parte dei. Sic igitur res in quantum sunt à Deo sunt, quia in hoc non distinguuntur, in quantum autē habent esse distinctum sunt à causis secundis per quas distinguuntur: vt bi gratia, in re viuente idem est penitus viuere & esse, & ideo totū est immediatē à Deo, & totū immediatē à secundo agente, sed non eodem modo, quia ex parte ipsius esse non est distinctio in rebus, sed per viuere distinguitur vna res ab alia, propter quod Deus dat esse & viuere, sed solum ratione ipsius esse in quo nihil distinguitur. Creatura vero dat totū illud sub ratione quæ est viuere ex parte cuius est in rebus distinctio.

8. Pro hac autē opinione esse videtur dictum Arist. 2. Phyl. cap. de causis, vbi dicit quod effectus particularis reducit in causam particularem, & vniuersalis in vniuersalem, sed esse est vniuersalissimus effectus, ergo reduci debet in causam vniuersalem quæ est Deus, Viuere autē cum sit effectus particularis debet reduci in causam secundam particularem, vt rationes effectuum correspondant rationibus causarum.

9. Hæc autē opinio deficit in se & in sua ratione. Quod enim dicit quod Deus vniiformiter agit in omnibus, nec est diuersitas in rebus nisi ex causis secundis, falsum est, quia secundum hoc impossibile esset quod plura & distincta fierent à Deo sine causis secundis, & ita Deus non posset diuersa creare, quod est falsum. Et contradicit primo dicto eorum, scilicet quod effectus qui sunt à solo Deo sunt toti ab eo & totaliter, hoc est secundum omnem modum in quantum habent esse, & in quantum habent esse distinctum.

10. Item agere semper vniiformiter, & nullo modo difformiter est conditio agentis naturalis & non voluntarij, dicere ergo quod Deus quantum est ex parte eius semper agit vniiformiter, & nullo modo difformiter est idem, ac si diceretur Deus agit ex necessitate naturæ & non ex libera voluntate, quod est falsum. Ratio etiā per quæ probant suū propositum non valet. Quod enim assumunt quod effectus particularis reducit in causam particularem, & vniuersalis in vniuersalem est intelligendum de particulari & vniuersali per prædicationem consimiliter in causa & effectū, vt patet per exempla quæ ponit ibidem Philo. vt sit tuæ quidam statuam faciens, hic autē huius ita quod sicut non est aliud re statua & hæc statua, sed ratione tantū, sic non reducit in causas diuersas re, sed tantum ratione quæ sunt ita iusticia & hæc iusticia. Et similiter in proposito cum esse & viuere in eodem differant solum ratione reduci debent solum in causas diferentes ratione, ita quod solum est vna causa re quæ dat esse & viuere immediatē, sed sub diuersis rationibus, esse quidē in quantum ipsa est ens actu, & aliud solum in potentia, viuere verò in quantum est viuens actu, & aliud viuens in potentia. Semper enim quod est tale in potentia fit ab eo quod est actu tale, & ita non oportet esse & viuere in eodem secundum rationes eorum diferentes reducatur immediatē in causas realiter diuersas, puta viuere in causam secundam, esse autem in causam primam quæ est Deus.

11. Ideo dicendum est aliter quod ea quæ fiunt à Deo mediantibus causis secundis non fiunt ab eo immediatē sicut ipsæmet rationes terminorū videtur sonare. Quod apparet primo sic, si deus ageret immediatē ad productionem esse

Capitulum 1.

q. 2. cōsol. 11.

esse

effectuum causae secundae (vt cum ignis generat ignem) aut ageret eadem actione qua creatura, aut alia. Non eadem propter duo. Primo, quia illa potest habere creatura siue speciali influxu dei (supposita conseruatione suae naturae & suae virtutis actiuae) quia actio quae non excedit virtutem speciei agentis sufficienter elicitur a sola virtute speciei, frustra ergo poneretur principia aliud immediatum eliciens talem actionem.

12 Secundo, quia impossibile est eandem actionem numero esse a duobus vel pluribus agentibus ita quod a quo libet sit immediate & perfecte, nisi in illis sit eadem virtus numero. Sed in Deo & creatura non potest esse eadem virtus numero, ergo impossibile est quod eadem actio numero sit ab utroque immediate & perfecte. Actio autem creaturae, immediate est a creatura & perfecte, cum non excedat virtutem suae speciei, ergo eadem actio non est immediate a Deo. Minor de se patet. Sed maior probatur, contingit enim quod eadem actio numero sit a duobus & a quolibet perfecte, sed ab vno immediate, ab alio vero mediate, quia eandem actionem qua facit causa propinqua immediate facit causa vniuersalis & remota perfecte in quantum dat virtutem causae proximae, & datam conseruat, & hoc est mediate solum. Alio modo contingit eandem actionem numero esse duorum immediate, sed a neutro perfecte, vt cum duo trahunt nauem, vel duo candelae causant vnum lumen, quia a neutro est perfecte tractus nauis, & a neutra candela est per se & perfecte illuminatio aeris, in talibus enim duo agentia imperfecta suppleunt vicem vnius agentis perfecti. Si autem actio sit immediate & perfecte a quolibet, non apparet modus possibilis, nisi in utroque eorum sit idem principium vel eadem virtus numero, propter hoc enim dicimus quod in diuinis pater & filius vna numero spiratione spirant spiritum sanctum & quilibet perfecte, quia in eis est vis spirationis vna numero. vera est ergo propositio maior, scilicet quod eadem actio non potest esse a duobus vel pluribus ita quod a quolibet sit perfecte & immediate, nisi in eis sit eadem virtus secundum numerum. Minor autem de se manifesta est, sequitur ergo conclusio, scilicet quod Deus ad effectum causae secundae non agit immediate eadem actione cum creatura.

13 Item nec alia, quia aut vna illarum actionum prius attingeret productum quam alia, aut non, sed vtraque simul. Non vna prius quam alia, puta actio dei prius quam actio creaturae, quia si Deus sua actione prius rem totam produceret, tunc creatura per suam actionem sequentem nihil faceret. Et conuerso si actio creaturae praecederet actionem dei. Nec potest dici quod Deus producat partem & creatura partem, quia hoc quaerimus, vtrum illud idem quod producit creatura immediate producat, etiam immediate deus. Prius enim fuit concessum quod in qualibet creatura materiali est aliquid quod est a Deo immediate. scilicet materia.

14 Item nec vtraque actio simul attingit productum, quia si hoc esset, altera superflueret, cum vna sufficiat ad totum producendum. Et praeterea actiones videtur esse idem realiter cum suis terminis, vnde & ab illis sumunt denominationem, impossibile est ergo ad acquirendum eandem formam numero esse diuersas actiones. Patet igitur quod ea quae producuntur per actionem creaturae non producuntur a Deo immediate. Posset tamen Deus ea immediate producere si vellet, sed tunc creatura nihil ibi ageret.

15 Secundo patet idem sic, ordo agentium correspondet ordini finium, sed vnius rei non possunt esse duo fines immediati & perfecti, ergo nec duo agentia, nisi forte supplerent vicem vnius agentis modo quo dictum est de trahentibus nauem, quia consimiliter possent esse duo immediati fines.

16 Ad primum argumentum dictum est per interemptionem minoris. Non enim vnitas sui additione cum aliis numeris causat numeros, imo ipsa sola sui replicatione causat omnem numerum materialiter. Sex enim non sunt quinque & vnum, sed semel sex vel sex vnitates, numerus enim non habet aliam materiam quam vnitatem. Est enim numerus ex vnitatibus multitudo collecta. Et eodem modo deus omnia immediate produceret si virtutem producendi aliis non communicasset.

17 Ad secundum dicendum quod non est simile de esse & de agere, quia esse causae secundae puta intelligentiae vel corporis celestis est immediatus effectus causae primae quae

est causa eius immediata non in fieri solum, sed conseruando in esse. Et ideo causa secunda non esset nisi ei causa prima immediate coexisteret. Sed agere causae secundae non est immediatus effectus causae primae. Et ideo non oportet quod Deus ad talem actionem immediate coagat, sed solum mediate conseruando naturam & virtutem causae secundae.

QUESTIO SEXTA.

Vtrum Deo competat agere propter finem.

Thom. 1. q. 44. ar. 4.

AD secundum sic proceditur. Et arguitur quod Deo non competat agere propter finem, quia omne agens propter finem videtur moueri motum. Finis enim mouet agentem, & ideo appetibile mouet appetentem, vt dicitur. 12. Metaphys. & 3. de Anima, sed Deus agit immobilis existens, ergo &c.

2 Item si Deus ageret propter finem aut propter finem qui est ipse, aut propter finem alium a se, non propter finem qui est ipse, quia habito fine cessat actio propter finem, Deus autem semper seipsum habet vt sic loquamur, nunquam ergo propter se agit, nec propter finem alium a se, quia finis melior est iis quae sunt ad finem, deo autem nihil potest esse melius, ergo &c.

3 IN CONTRARIUM est quod dicitur. 5. Met. quod omnis intellectus operatur causa alicuius. Sed Deus agit per intellectum, vt apparet ex primo libro dist. 35. ergo operatur alicuius causa, sed haec est ratio finis (scilicet cuius gratia fit aliquid) ergo &c.

4 RESPONSIO. Dicit quidam quod Deus agit propter finem qui est sua bonitas. Quod declarat sic, duplex est finis. Finis operis & finis operantis. Et differunt, quia finis operis est quandoque in alio quam in operante sicut finis edificationis est domus, & vniuersaliter finis operationis est res operata vbiunque operatio tranfit in materiam exterioriorem. Finis autem operantis est illud quod principaliter intendit operans, & est semper in operante, sicut finis domificatoris non est domus, sed vtilitas qua domificator intendit ex ea. Et horum duorum finium primus reducit ad secundum. Finis enim operis quae est res operata (vt domus) ordinatur ad finem operantis qui est habitare in domo vel aliquid tale.

5 Ex hoc sic arguitur, vbiunque est finis operis, ibi est dare finem operantis, sed in omni actione diuina transeunte in materia exteriori est aliquid finis operis (scilicet res operata vel producta) ergo oportet quod sit ibi aliquid alius finis operantis qui fit in ipso operante. Hoc autem non est in Deo nisi sua bonitas propter quam agit quicquid agit: non enim agit vt ipsa acquiratur, sed vt communitur, quia Deus non agit ex desiderio finis non habiti, sed ex amore finis habiti quem vult communicari & plurificari quantum est possibile.

6 Hic autem videtur esse duplex defectus. Primus de distinctione quae ponitur, scilicet quod alius est finis operis & alius operantis. hoc enim non videtur, quia finis operantis dupliciter intelligi potest, vno modo qui est ipse operantis vt quaedam res est pura Sortes vel Plato: & hoc modo impossibile est in quacunque actione dare finem operantis, quia nec res operata, nec aliqua vtilitas inde proueniens est illud ad quod sicut ad finem ordinatur Sortes vel Plato. Sed magis conuerso res operata & vtilitas inde proueniens ordinatur ad finem operantis sicut ad finem, vt postea magis patebit. Alio modo dicitur finis operantis qui est ipse in quantum est operans. Et hoc modo non potest esse alius finis operis & operantis, quia operans non est operans nisi operatione, nec operatio est nisi alicuius operantis, ergo quod est finis operantis in quantum est operans est & finis operis vel operationis ratione cuius dicitur operans, & quod est finis operis est & finis operantis, & nunquam alius huius & alius illius, sed vnus & idem, & si sint plures, vterque est finis operis & operantis ordine quodam, quia vnus est principalis, alius autem non, sed est finis sub fine vt patet in exemplo adducto de domo & habitatione.

7 Quod autem dictum est, intelligendum est de fine per se. Nam secundum accidens aliquid potest esse finis operantis, hoc est intentus ab operante qui nullo modo est finis operis per se, sicut astutus & calumniosus edificat domum

* alius solus

* alius operata

in alieno solo vt præscribat, ad quod tamen opus secundum se non ordinatur, sed solum ex intentione operatis, & solū potest hoc esse in agentibus à proposito in quibus agens potest sibi voluntarie finem præstiturere ad quem actio non ordinatur per se, in purè autem naturalibus nõ video quod habeat locum.

8 Secundus defectus videtur esse in principali conclusione que ponit quod Deus agit propter bonitatem suam vt communicetur, quia idem non est finis sui ipsius, sed Deum producere creaturam & communicare ei bonitatem suam est realiter vnum & idem, productio enim effectus non solum à Deo, sed etiam à quocunq; agente nihil aliud est quam quædam communicatio formæ agentis, ergo vnum non est finis alterius.

9 Dicendum est ergo quod ista quæstio potest dupliciter intelligi. Vno modo vtrum Deus agit propter finem qui sit finis ipsius dei agentis. Alio modo vtrum agit propter finem qui sit finis actionis diuinæ & rei productæ per eam. Primo modo intelligendo quæstionem, dicendum quod deus non agit propter finem. Cuius ratio est, quia finis melior est his quæ sunt ad finem, sed Deo nihil est melius, ergo deus non potest agere propter finem qui sit finis ipsius agentis. Si autem intelligitur secundo modo, sic dicendum est quod Deus agit propter finem qui est sua bonitas quæ est finis omnium actionum Dei & rerum per eum productarum. Quod patet sic, cum Deus agit per voluntatem illud quod est ab eo propter aliud volitum est ab eo propter aliud productum, sed omne aliud à Deo est ab ipso volitum propter aliud, (scilicet propter bonitatem suam) ergo quodlibet productum à Deo est ab ipso productum propter suam bonitatem. Maior patet sed minor probatur, quia sicut se habet entitas diuina ad intellectum diuinum sic sua bonitas ad suam voluntatem, sed obiectum particulare intellectus Dei est sua entitas siue essentia, alia autem non nisi in quantum in ea relucet & eam participant, ergo obiectum voluntatis diuinæ per se est eius bonitas tanquam propter se volita, alia autem non, nisi propter eam & in ordine ad eam.

10 Sed hic est vnum dubium, cum enim finis vltimus sit propter se amatus, oportet quod sit illud cui bonum volumus & non bonum quod alii volumus, quia tale non amatur propter se, sed propter illum cui tale bonum volumus. Et similiter cum creatura ametur à Deo non propter se, sed propter bonitatem suam, oportet quod creatura sit bonum quod Deus vult suæ bonitati, hoc autem qualiter sit verum non clarè apparet, quia nihil creatum videtur cedere in bonum dei.

11 Dicendum ad hoc quod aliquid est bonum alterius dupliciter. Vno modo formaliter, sicut sanitas est bonum hominis, & sic nihil creati potest esse bonum dei. Alio modo aliquid est bonum alterius non formaliter, sed quia est signum bonitatis formalis, & sic honor dicitur esse bonum honorati, quia est signum reuerentiæ quæ debetur ratione bonitatis. Et hoc modo cum creaturæ representant diuinam bonitatem, creaturæ sunt bonum à Deo volitum, & sunt bonum ipsius modo quo dictum est. Sic igitur Deus agit quicquid agit propter finem qui est sua bonitas, & sicut dictum est de Deo quod agit propter se, sic puto verum esse de homine respectu eorum quæ producit per artes, quia omnis res artificialis habet rationem boni vtilis, sicut scannum est vtile ad sedendum, liber ad studendum, arma ad protegendum, & sic de aliis. Ars enim est ad subueniendum defectibus nature. Et ideo omnia artificialia sunt propter aliquam vtilitatem quam homo ex eis consequitur. Bonum autem vtile non potest habere rationem vltimi finis, sed semper ordinatur ad vltius bonum. Et ideo omnia artificialia finaliter ordinantur ad hominem, iuxta illud quod dicit Philosophus 2. Physicorum. loquens de artificialibus, quod nos sumus quodammodo finis omnium, aliter tamè quam Deus. homo est factor artificialium ad supplendum indigentiam suam, Deus verò factor est omnium propter suam condescendentiam. Iuxta quod est intelligendum quod cum Deus agit per voluntatem cuius obiectum est bonum, oportet quod creatura vel productio creaturæ præconcipiatur sub aliqua ratione boni, non sub ratione boni vtilis, quia bonorum nostrum non indiget, bonum enim vtile est ad supplementum alicuius defectus qui non potest esse in deo, nec delectabile, quia bonum delectabile vt distinguitur

contra vtile & honestum pertinet ad sensum, ergo sub ratione honesti. Honestum autem est quod condecet facientem maxime quando nõ est ad faciendum obligatus, sicut actus liberalitatis qui non est debitus, sed gratuitus maxime condecet diuitem abundantem. Et secundum hunc modum condecet diuinam voluntatem quæ est fecundissima communicari creaturis in earum productione in quibus reuocet & manifestatur sua bonitas, ita quod talis condecetia est ratio propter quam res producuntur. Et sic est intelligendum quod dicitur Proverbiorum 16. Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus. Et illud Dionysius 4. ca. de diuino. quod diuina bonitas non dimisit eum sine germine esse, hoc est condecetia diuinæ bonitatis.

12 AD PRIMVM argumentum est dicendum quod finis mouet agentem illum duntaxat qui de non volente fit volens, quod nõ est dicere de Deo qui (& si aliquid de nouo producat) non tamen voluntate noua, sed æterna, & ideo mouet totaliter immobilis existens. Et propter aliud, quia finis principaliter volitus à Deo non est aliud ab ipso, & illud non mouet seipsum.

13 Ad secundum dicendum quod Deus agit propter finem qui est ipse. Et quod dicitur quod habito fine cessat actio propter finem, intelligendum est de proximo fine operationis quæ est res operata qua producta cessat actio productis, sed non conseruans nisi sint eadem. Potest etiã verum esse de fine qui mediante re operata acquiritur, sicut est habitatio domus, quia & tales actiones, & producta per eas sunt propter supplementum alicuius indigentie quo adeptio frustra manerent actiones. Sed nõ est verum vbi actio est agentis perfecti & nullo indigetis quod agit solum quod condecet suam bonitatem sicut liberalis facit opus liberalitatis, quia condecet eum dato quod nihil aliud deberet sibi propter hoc euenire, & sic agit ea Deus quæ agit in creaturis. Agit etiã Deus propter alium finem à se, sed iste finis nõ est simpliciter vltimus vel principalis, sed est finis sub fine. Sicut producit herbas propter brutam, & vtraque propter hominem. Et cum dicitur quod finis melior est quæ sunt ad finem, verum est. Sed Deus agens nõ ordinatur ad aliquem finem, quantum res per ipsum acta ordinatur ad aliam rem creatam meliorem, propter quod sequitur quod creaturarum vna sit melior altera. Sed nõ sequitur propter hoc quod aliquid sit melius Deo.

Sententia secundæ distinctionis in generali & specialis.

DE angelica itaq; natura. Superius determinauit magister de creatione rerum in generali, hic verò determinat de eisdem in speciali. Et secundum hoc ista lectio diuiditur in tres partes. Primò enim determinat de creatura purè spiritali. Secundò de creatura purè corporali. Tertiò de creatura media ex vtraq; composita. Secunda incipit in principio distinctionis 12. ibi, hoc de angelicæ nature. Tertia in principio 16. dist. ibi: His excusis, quod supra de hominis creatione. Prima in duas. Primò determinat in generali creationis angelicæ locum & tempus. Secundò prosequitur de conditionibus angelorum. Secunda in principio 3. dist. ibi: Ecce ostensum est. Prima pars est principalis lectionis. Et diuiditur in partes quatuor. Primò enim determinat tempus creationis. Secundò determinat seu ostendit vbi creati fuerunt angeli. Tertiò recitat determinata nata. Quarto mouet incidentem quæstionem & soluit. Secunda incipit ibi: iam ostensum est. Tertia ibi: Simul igitur visibilibus. Quarta ibi: Hic quæri solet de celo empyreo. Prima diuiditur in quatuor. Primò præmittit generale proœmium ad determinanda. Secundo prosequitur de tempore creationis opponens ad vtranq; partem quæstionis intente. Tertiò determinat veritatem, & determinationem confirmat. Quarto remouet quandam obiectionem quæ posset esse dictis contraria. Secunda ibi: Quædam autoritates. Tertia, videtur itaq;. Quarta ibi: Hieronymus super epistolam. Hæc est diuisio istius lectionis in generali.

2 IN speciali sic procedit Magister. Et primo proponit quod de natura angelica intendit determinare, scilicet quædo & vbi angeli sunt creati. Itè intendit determinare de creatione angelorum, siue quantum ad conuersionem suam

Validas eas